DOCTRINA CHRISTIANA MAXIMAM PARTEM EX INSTITVTIONE

Calvini excerpta

SEU

LOCI COMMVNES THEOlogici, brevibus sententiis expositi

Per

IOHANNEM PISCATORIVM

Ad tertiam, ab authore recognitam

LONDINI

In Ædibus Richardi [illegible]

Collegium Christi
Acad. Cantabr &c.

AD THEODORVM BEZAM IOHANNIS PISCATORIS PRÆFATIO.

Meminisse te puto, reverende & clarissime vir, frater in Christo plurimùm observande: quo consilio piæ memoriæ Casparus Olevianus noster epitomen ex magno illo magni illius Calvini opere, Institutione scilicet religionis Christianæ, excerptam in lucem ediderit: nempe partim ut ministris Euangelii per Germaniam aliquid afferret ad solidè docendum Christum adjumenti: quorum plerosq; prolixitate magni illius operis ab eius lectione deterreri judicabat: partim verò & præcipuè, ut serviret scholæ nostræ Herbornensi, singulis trimestribus singulos libros summatim interpretando, atque ita quotannis doctrinæ Christianæ summam absolvendo. Ac spero hunc illius laborem non fuisse inanem in Domino: sed multis, qui epitomen illam legere non fuerint gravati, non parum profuisse: nostris quidem certè discipulis, qui eum docentem audiverunt, plurimum profuisse certò scio. Sed quoniam ille in medio interpretationis suæ cursu nobis per mortem ereptus & à Domino in scholam illam cælestem translatus est: ego, necessitate scholæ nostræ & officii mei ratione ita postulante, de voluntate fratrum, quibus scholæ nostræ cura tum erat commissa, Oleviano defuncto in hac laboris parte successi: atq; ita paulo post obitũ illius, Epitomẽ Institutionis Calvini discipulis meis interpretari exorsus, sesquianni spatio (citius enim fieri commodè non potuit) eandem auxilio Dei absolvi.

Cæterùm quum discipuli me rogarent, ut ad majorem ipsorum in sacræ Theologiæ studio profectum disputationes Theologicas instituere non gravarer: equidem facilè petitioni eorum locum dedi: ac proinde ut legitimo quodam ordine res procederet, illiq; ci-

tius ac plus proficerent, locos doctrinæ Christianæ singulos, quum primùm aliquem in Institutione interpretanda absolvissem, in paucos aphorismos redegi, eosq; aphorismos illis ad disputandum proposui. Hæc igitur istorum aphorismorum componendorum causa fuit: in quibus equidem excerpendis libertate Christiana usus sum: ita ut nec prorsus ad verbum excerpserim (id quod commodè fieri non potuit: quum auctoris stilus uberior sit ac fusior, aphorismi autem brevitatem postulent) & in sententiis quoque interdum aliquid adjecerim, quod in Epitome non extat: veruntamen doctrinæ auctoris, ac in primis sacrarum literarum, meo quidem atque etiam fratrum judicio, congruit. Aphorismos autem appellare malui, quàm (ut vulgò solent) theses: eò quòd θέσεως vocabulum dubitationem aliquam innuit, sicut ex Topicis Aristotelis perspici potest: ubi dicuntur disputatores aliquid τιθέναι, id est ponere, quod verum esse nequaquam asseverabant (asseverare enim apud Aristotelem non Topici seu Dialectici disputatoris, sed demonstratoris est) sed tamen tanquam verum aut saltem veri simile esset, disputando defendere parati erant. Imò interdum θέσις Aristoteli dogma absurdum significat, a claro aliquo philosopho in medium allatum. At hæ sententiæ, quæ istis aphorismis continentur, nec absurdæ sunt (nisi rationi humanæ à Spiritu sancto non illuminatæ) nec tales, de quibus homini Christiano dubitare fas sit. Cur ergo, inquiat aliquis, proponuntur ad disputandum, atque ita in dubium vocantur? Ego verò etsi ad disputandum à nobis hæ sententiæ proponuntur, in dubium tamen eas vocari nego. Neque enim quasi de ipsarum veritate dubitaremus, ad disputandum eas proponimus: sed ut ipsarum veritas discipulis nostris clariùs eluceſcat, dum objectiones hæreticorum atque etiam scrupuli, qui discipulorum animis incidere solent, ex verbo Dei diluuntur & explicantur: quo fit ut rudiores in veritate cælesti plenius erudiantur, infirmioresq; confirmentur.

Sed quorsum attinebat, inquiet aliquis, aphorismos istos in lucem edere: quum in usum discipulorum tuorum peculiariter sint cõpositi? Nempe in hac quoq; parte exemplum Oleviani fidelissimi servi Christi imitari volui: qui Epitomen suam non solis suis auditoribus, verùm etiam exteris servire voluit. Etenim si ille judicavit, epitomen suam multis gratam atque utilem fore propter brevitatem: multo magis istud de aphorismis meis sperare mihi licet, quorum

rum brevitas adhuc est succinctior. Continent enim præcipua doctrinæ Christianæ capita nudè proposita, tanquam σκιλετὸν quoddam: id est ossium corporis humani compages, qualem Anatomici componere solent, cute & carne detractis. Consimiliter enim hic ubertas & ornatus orationis, veluti caro & cutis, detracta sunt: sententiæ autem, quæ ad unius alicujus loci doctrinæ Christianæ, tanquam corporis alicujus, integritatem requiruntur, veluti ossa quædam nuda inter se compacta sunt. Sed dicent fortassis nonnulli, hæc sibi nimis videri ossea, id est, arida, non autem succulenta. At ego ossea quidem illa esse confiteor, atque etiam profiteor: sed ossea, id est solida ac firma: veruntamen succo illo & medulla doctrinæ cœlestis prædita: imò etiam nervosa. Qui verò succum orationis uberiorē desiderant, illi vel epitomen vel ipsum illud grande auctoris opus legant. Neque enim propositum mihi fuit, hoc opusculo ab ipso opere auctoris quemquam avocare; sed potius ad faciliorem illius cognitionem introducere, atque adeò ad ardentius studium illius operis cognoscendi studiosos Theologiæ allicere atque excitare. Spero enim fore, ut qui præcipua doctrinæ Christianæ pronuntiata his aphorismis comprehensa perceperit: Si modò veritatis cœlestis pernoscendæ serio studio teneatur, hæc ipsa pronuntiata uberius ac fusius disputata pluribusq; verbis declarata & illustrata apud ipsum auctorem cognoscere sit desideraturus.

Restat ut causas quoque exponam, cur tibi clarissime domine Beza, hos meos aphorismos inscribere ac dedicare voluerim. Primum igitur istud eo consilio feci, ut huic opusculo gratiam aliquā & auctoritatem conciliarem ex consensu & approbatione viri optimè de ecclesia nostra ætatis meriti, & adhuc quotidie merentis. Et hac quoque in parte exemplum D. Oleviani mihi sequendum existimavi: qui eodem consilio epitomen suam tuo nomini inscripsit. Quum igitur hujus mei instituti consimilis sit ratio, nempe ut juventus sacrarum literarum studiosa quàm brevissimo tempore de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus quàm solidissimè eruditur atque informetur: volui etiam ipse hoc opusculum meum ad eundem te mittere, atque ita ecclesiæ Christi (ut Olevianus noster ajebat) sub honestissimo tuo apud omnes pios nomine commendare. Deinde volui hac ratione meam erga te observantiam publicè testatam reddere, atque ita meo exemplo discipulos meos in præclara de te & scriptis tuis opinione confirmare, & ad illa studiosius

cognoscenda incitare. Etsi enim nominis tui apud sincerioris Theologiæ studiosos tanta jam pridem excitata est authoritas meritis tuis comparata, ut mea commendatione apud illos nequaquam sit opus: tamen non dubitavi quin hoc meum factum non parum eos esset in præclara de te opinione confirmaturum. Postremò volui quoque hac ipsa meæ erga te observantiæ testificatione gratiam tibi aliquam referre, tum pro plurimis tuæ erga me benevolentiæ testimoniis, totidem scilicet quot epistolas ad me scripsisti: tum in primis pro honorifica illa mei mentione, quæ in posterioribus tuis scriptis, & maximè in Annotationibus illis laboriosissimis atque accuratissimis in Novum Testamentum extat. Etsi enim non ideo beatum me judico, quòd homo mortalis honorificè de me sentit, meosq; qualescunq; labores ecclesiæ Christi commendat: ut qui norim ex Apostolo, eam demum veram ac solidam fore laudem, quæ in illo extremo judicii die unicuiq; ab ipso Deo continget: tamen fieri non potest quin homini pio jucundum hoc accidat, si à viro pietate & sapientia celebri testimonium aliquod honestum adipiscatur.

Quod restat; Deum patrem D. N. Iesu Christi oro, ut laboribus nostris & piis conatibus benedicat: ut sacrarum literarum studiosa juventus ejusmodi scriptorum adminiculis adjuta, in cognitione veritatis cælestis indies magis ac magis proficiat: & aliquando quæ probè didicerit, commodè etiam & solidè populum Dei docere possit, ad nominis divini gloriam, & salutem illius sempiternam, Amen.

LOCUS I.

De cognitione Dei.

APHORISMUS I.

COgnoscitur à nobis Deus vel ut [a] creator, vel ut [b] redemptor. *a Act.14.15 16.17. & cap.17.24.*

II.

Cognitio Dei ut creatoris, duplex est: una naturalis, altera acquisita. *25. &c. Rom.1.19.20 b Iob.17.3.*

III.

Naturalis cognitio Dei ut creatoris, est quæ se in adultis sana mente præditis sponte natura exerit: ita ut nemine etiam docente [a] persuasi sint esse Deum seu numen aliquod: id est, mentem æternam, potentissimam, sapientissimam, optimam: mundi & rerum eo contentarum conditricem atque gubernatricem: ac proinde illud numen religiosè colendum esse. *a Rom.1.18. 19. & cap.2. 14.15.*

IV.

Talem Dei notitiam hominum mentibus à natura esse insitam, manifestum fit partim ex eo quòd barbaræ quoq; gentes ceremonias aliquas religiosas exercent: partim ex eo quòd etiam profani aliâs numinis contemptores metu gravissimo percelluntur, quum Deus signa suæ majestatis ostendit: ut quum tonat & fulgurat. *a Rom.1.20. b Gen.1. Iob.38.39. 40.41. Psal 19.104. Prov.8.22. & deinceps.*

V.

Acquiritur cognitio Dei ut creatoris, per institutionem tum humanam seu philosophicam, ex consideratione [a] operum Dei ratiocinando deductam: tum divinam, ex [b] verbo sciicet Dei scripto haustam.

VI.

Notitia Dei tum naturalis, tum etiam ea quæ per institutionem humanam acquiritur, est illa quidem semen religionis: sed partim inscitiâ, partim malitiâ ita corrumpitur, ut non nisi [a] superstitiones & falsas religiones ex se gignat.

a Rom. 1. 21. 22. 23. Act. 17. 22. & deinceps. 1. Cor. 12. 2.

VII.

Iam notitia Dei creatoris quę acquiritur ex verbo Dei, aut nuda est, aut cum affectu pietatis.

VIII.

Postremus hic cognitionis gradus, est ille quidem cæteris præstantior: veruntamen non sufficit ad verum Dei cultum & veram hominis felicitatem: sed sufficit tantùm (ut & priores gradus) ad reddendum hominem [a] inexcusabilem. Necesse est autem [b] accedere ex verbo cognitionem Dei ut redemptoris, eamq; cum filiali fiducia coniunctam. Atque hæc demum vera & [c] salutaris cognitio Dei dici meretur: qua scilicet Deus à nobis & ut creator, & ut redemptor cognitus, rectè à nobis colitur: quaque nos beati sumus.

a Rom 1. 20. b Psal. 19. ex collatione v. 8 & sequentium cum præcedentibus c Ioh. 17. 3.

LOCUS II.

De sacra Scriptura.

APHORISMUS I.

SAcra Scriptura ea dicitur, quæ instinctu [a] Spiritus sancti per viros [b] sanctos, ac inprimis per [c] Prophetas & [d] Apostolos conscripta est ad [e] erudiendum populũ Dei de recto Dei cultu & vera hominis felicitate. Aliâs nominatur verbum Dei scriptum: item sacræ literæ, sanctæ scripturæ; & sine epitheto, scripturæ; ac numero singulari, scriptura. Vulgo dicuntur Biblia, nomine scilicet Græco plurali βιβλία, id est libelli: quod nomen tamen aliæ nationes per numerum singularem efferre solent.

a 2. Tim 3. 16 2. Pet. 1. 21. b Ibid. c Rom. 1. 2. 2. Pet. 1. 19. d 2. Pet. 3. 15. 16. e Rom. 15. 4. 1. Tim. 4. 13. & 16. 2. Tim. 3. 15. 16. 17. Ioh. 5. 39. & cap. 20. 31.

II.

Distinguitur in libros veteris & novi testamenti seu fede-

federis: eò quòd compositа sit partim ante Christi exhibitionem, partim post eum exhibitum. Quarũ illa, scriptura Prophetica; hæc Apostolica dici solet.

III.

Libri veteris testamenti numerantur viginti quatuor: ita scilicet ut historia Samuelis, item Regum & Chronica seu Paralipomena, & denique duodecim Prophetæ qui minores dicuntur, singulis libris comprehendi intelliganter: sicut tabella subjecta ostendit.

1. Genesis seu primus liber Mosis.
2. Exodus seu secundus liber Mosis.
3. Leviticus seu tertius liber Mosis.
4. Numeri seu quartus liber Mosis.
5. Deuteronomius seu quintus liber Mosis.
6. Iosua.
7. Iudicum.
8. Ruth.
9. Samuelis libri duo: vulgò Regũ primus & secundus.
10. Regum libri duo: vulgò Regum tertius & quartus.
11. Chronicorum seu Paralipomenon libri duo.
12. Esdra.
13. Nehemia.
14. Esther.
15. Iob.
16. Psalmorum liber.
17. Proverbia Salomonis.
18. Ecclesiastes.
19. Canticum Canticorum.
20. Iesaia.
21. Ieremia: quò pertinent & Threni seu Lamentationes.
22. Ezechiel.
23. Daniel.

22. Prophetæ minores, numero duodecim:

1. Hoseas.
2. Ioel.
3. Amos.
4. Obadja.
5. Iona.
6. Micha.
7. Nahum.

8. Habacuc.
9. Zephanja.
10. Haggai.
11. Zacharja.
12. Maleachi.

Libri novi testamenti sunt viginti septem: videlicet,

1. Euangelium secundùm Matthæum.
2. Euangelium secundùm Marcum.
3. Euangelium secundùm Lucam.
4. Euangelium secundùm Iohannem.
5. Acta Apostolorum.
6. Pauli epistola ad Romanos.
7. ad Corinthios prima.
8. ad Corinthios secunda.
9. ad Galatas.
10. ad Ephesios.
11. ad Philippenses.
12. ad Colossenses.
13. ad Thessalonicenses prima.
14. ad Thessalonicenses secunda.
15. ad Timotheum prima.
16. ad Timotheum secunda.
17. ad Titum.
18. ad Philemonem.
19. ad Hebræos.
20. Epistola Iacobi.
21. Petri prima.
22. Petri secunda.
23. Iohannis prima.
24. Iohannis secunda.
25. Iohannis tertia.
26. Iudæ.
27. Apocalypsis Iohannis.

IV.

Hæc Scriptura seu verbum Dei hac scriptura compre-
[a] 2. Pet. 1. 19. hensum, est [a] regula tum fidei, tum vitæ omnium verorũ
[b] 2. Tim. 3. 16 2. Pet. 1. 21. Dei cultorum: quia [b] authorem habet Deum: qui nec mentiri potest, & jus imperandi habet in omnes: Atque hinc

hinc isti libri à veteribus dicti sunt Canonici. Quibus tamen in volumine Bibliorum adiungi solent quidam libri, qui appellati sunt apocryphi, id est, absconditi: eò quòd non debeant in lucem proferri, quum doctrina de fide aut cultu Dei testimoniis divinis confirmanda est.

V.

Cæterùm huius Scripturæ authoritas absoluta consistit in ipsis verbis quibus illa primùm cõscripta est, quippe quæ scriptoribus à Spiritu sancto [a] dictata sunt: quæ in veteri quidem Testamento sunt Hebraica, in novo autẽ Græca. Translationes verò sive interpretationes aliarum linguarum ea tenus authoritatem habent, quatenus cum fontibus consentire comperiuntur.

[a] 2. Tim. 3. 16 2. Pet. 1. 21.

VI.

Etsi autem hæc Scriptura fidem apud omnes meretur tanquam θεόπνευστος καὶ αὐτόπιστος: tamen [a] testimonio Spiritus sancti sanciri eam in cordibus nostris oportet, ut nobis certa ejus constet authoritas, ac proinde ut plenam ei fidem habeamus.

[a] Esa. 59 21. Iuh. 14. 26. & cap. 15. 26 & cap. 16. 13 Rom 8. 16. 1. Ioh. 2. 27. & cap. 5. 6.

VII.

Interim tamen probationes quoque, quatenus fert humana ratio, satis firmæ suppetunt ad stabiliendam Scripturæ fidem: ut sunt cælestis ipsius doctrinæ majestas, orationis simplicitas, puritas, divinitas; partim omnium inter se consensio admiratio in quã nos rapit, antiquitas ipsorum librorũ, tot ac tam insignia miracula, mirabile cõplementũ prophetiarum, vindicatio divina horum librorum contra rabiem hostium, consensus Ecclesiæ, sanguis martyrum, denique ipsorum scriptorum naturalis atque humana conditio.

VIII.

Etsi autem consensus Ecclesiæ non parum facit ad authoritatem Scripturæ nobis commendandam: falsum tamen est dogma Papistarum, quòd authoritas Scripturæ pendeat ab authoritate Ecclesiæ: quasi scilicet non possimus Scripturæ credere, aut quasi Scriptura non mereretur fidem, nisi nos moveret Ecclesiæ authoritas: testantis

nimirum, has esse sacras scripturas, & jubentis illas pro veracibus amplecti.

IX.

Nec verò Ecclesiæ authoritas contemnitur, quum illi non tribuitur quod proprium est Dei, nempe ut nobis certò persuadeatur doctrinæ cælestis veritas. Sed interim veræ Ecclesiæ testimonium magnificiendum est. Etenim vera Ecclesia sacras literas custodit instar tabellionis: deinde genuinas scripturas ab adulterinis discernit; sicuti aurifex statêra aut lapide Lydio aurum discernit à cupro, & sicut peritus quispiam bonum nummũ esse docet quem imperitus non agnoscebat. Tum verò etiam Scripturas vera Ecclesia promulgat instar præconis. Ac postremò easdem rectè interpretatur.

X.

Quum solus textus Hebraicus in vetere Testamento & Græcus in novo verè authenticus sit, & absolutam au-
Sess. 4. can. 2. thoritatem habeat: peccat igitur Concilium Tridentinũ, quatenus cavet, ut Latina vetus vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur: & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat aut præsumat.

XI.

Quum Scriptura divinitus nobis data sit ad erudiendum nos de cultu Dei & nostra salute: errant igitur fanatici, qui posthabita Scriptura, ad revelationem transvolant.

XII.

Quum finis seu scopus Dei in Scriptura sit, erudire populum suum de recto sui cultu & vera hominis felicitate: consequens est, ipsam esse perfectam, ita nimirum ut tradat omnia quæ sunt ad illum scopum assequendum necessaria. Secus enim dicendum esset, Deum scopum suum non assequi: id quod cum illius omnipotentia pugnat.

XIII.

Quum doctrina Scripturæ [a] perfecta sit, omnia scili-
a 1. Tim. 3. 16. & 17. cet ea tradens quæ ad verum Dei cultum & ad æternam

nostram

noſtram ſalutem ſunt neceſſaria: errant igitur Papiſtæ qui ut neceſſarias obtrudunt traditiones non ſcriptas, nempe non ſcriptas à Prophetis aut Apoſtolis.

XIV.

Quum doctrina Scripturæ certò [a] vera ſit: quippe ab inſtinctu [b] Spiritus ſancti profecta: erroneum igitur eſſe neceſſe eſt quicquid cum ea pugnat, quales ſunt paucæ traditiones humanæ, quas Papiſtæ Eccleſiæ pro verbo Dei obtrudunt.

[a] 2.Pet.1.19
[b] Ibid. 21. 2.Tim.3.16.

Locus III.

De Deo.

Aphorismus I.

Deus eſt [a] ſpiritus [b] ſimpliciſſimus, [c] infinitus, [d] æternus, [e] immutabilis: [f] omnipotens, ſummè [g] ſapiens, [h] bonus, [i] clemens, [k] miſericors, [l] iuſtus, [m] ſanctus, [n] verax, [o] liberrimæq; poteſtatis: & eſt [p] Pater, Filius & Spiritus ſanctus: [q] conditor cæli ac terræ, & ommium quæ in illis continentur: [r] redemptor & [s] ſanctificator electorum ſuorum.

[a] Iob.4.24. [b] Deut.6.4. Exod.3.14.15 [c] Pſ.139.7. & deinceps. Eſa.66.1. Ier.23.23. 24. 1.Reg.8.27.

[d] Rom.1.20. & 23. 1.Tim.1.17. Pſal.102.25. & deinceps. Apoc.1.8. [e] Pſal.102.27. & 28. Malath.3.6. Eſa.46.10. Rom.11.29. [f] Gen.17.1. & cap.35.11. Exodi 15. Iob.38.39. Pſal.91.1. & 2. [g] Pſal.139.1. & ſeq. & 104.24. & 147.5. 1.Sam.16.8. Heb.4.13. Rom.11.33.34. & cap.16.27. 1.Tim.1.17. [h] i. k. l. Exod.34.6. & 7. [i] Pſal.5.13. & 34.9. & 51.20 & 52. ult. & 54.8.9. [k] Ion.4.2. [l] Gen.18.23. 25. Deut.32.4. Iob.34.10 11.12 & cap.36. toto. Pſal.11. ult. & 34.16.17. Prov.8.8. Eſa.45.21. Ier.12.1. Thren 1.18. [m] Levit.19.2. Ioſ.24.19. 1.Sam.2.2. Pſal.99.3. Eſa.6.3. [n] Pſal.36.6. Heb.6.17.18 Tit.1.2. [o] Rom.9.15. & deinceps. Mat.20.15. [p] Matth.28.19. [q] Gen.81.1. [r] Luc.1.68. & deinceps. [s] Eph.2.10.

II.

Hi tres, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt quidem illi tres [a] hypoſtaſes ſeu perſonæ diſtinctæ; quarum [b] unaquæque eſt Deus: attamen non ſunt tres dii; ſed ſunt [c] unus ille verus Deus, qui in Scripturis Iehova nominatur.

[a] Heb 1.3. [b] Ioh.1.1. Act. 5.3. & 4. [c] Deut.6.4. 1.Ioh.5.7.

III.

Differunt inter ſe, quòd Pater à nullo eſt: Filius eſt [a] à Patre, per incomprehenſibilem atq; ineffabilem [b] generationem: Spiritus ſanctus verò eſt à Patre & [d] Filio per incomprehenſibilem atq; ineffabilem [e] proceſſionem.

a Ioh. 1. 14.
b Pſal. 2. 7. Prov. 8. 24. & 25.
c Ioh. 15. 26.
d Ibid. Rom. 8. 9.
e Ioh. 15. 26.

Locus IV.

De Angelis.

Aphorismus I.

ANgeli ſunt [a] creaturæ [b] ſpirituales, Dei creatoris [c] miniſtræ.

a Pſa. 104. 4. Heb. 1. 7. Coloſſ. 1. 16.
b Heb. 1. 7. & ult. Eph. 6. 12. c Heb. 1. v. ult. 1. Reg. 22. 20. & deinceps.

II.

Angelorum alii ſunt boni, alii mali.

III.

Boni Angeli ſunt qui in integritate in qua ſunt creati, perſtiterunt & [a] confirmati ſunt: ac proinde perpetuò [b] prompti ac parati ſunt ad glorificandum Deum ſuo obſequio: unde & per imagines humanas alatas, quæ [c] Cherubim ac [d] Seraphim dicuntur, populo [e] Iſraëlitico & prophetæ [f] Eſaiæ, itemq; [g] Ezechieli repreſentati ſunt: ad notandum videlicet celeritatem atque alacritatem in exequendis mandatis Dei.

a Argumẽto ducta Mat. 18. 10. & 22. 30.
b Pſal. 103. 20. & 21.
c Exod. 25. 18. &c.
1. Reg. 6. 23. & 29.
d Eſa. 6. 2.
e Exod. 25. 18
f Eſa. 6.
g Ezech. 1.

IV.

Vtitur autem eorum miniſterio Deus tum ad aliquid [a] hominibus, maximè [b] piis, nuntiandum: (unde & nomẽ iſtud acceperunt) tum ad mundum [c] gubernandum, quatenus & vitam fidelium contra hoſtium (videlicet malorũ angelorum & hominum) inſidias atque inſultus, aliosq; noxios caſus [d] protegunt; & impios quidem [e] puniunt, pios verò [f] caſtigant: unde [g] throni, dominatus, principatus, poteſtates, & potentiæ nominantur.

a Num 22. 32. 33. 35.
b Gen. 19. 13. Iudic. 13. 3. 4. 5. Dan. 8. 16. item ca. 9. 21. Luc 1. 13. & deinceps.
item 26. & deinceps. & cap. 2. 10. Mat. 1. 20. & ſeq. & cap. 2. 13. item 19. 20. & cap. 28. 5. Act 1. 10. & deinceps. Apoc. 1. 1. c Coloſſ. 1. 16. Eph. 1. 21. d Pſal. 34. 8. item Pſal. 9. 11. 12. Geneſ 19. 10. & 16. item cap. 32. 1. 1. Reg. 19. 5. 2. Reg. 6. 17. & cap. 19 35. Dan. 3. 25. & cap. 6. 23. e Gen. 19. 2. Reg. 19. 35. Act. 12 23. f 2. Sam. 24. 15. 16. g Eph. 1. 21. Coloſſ. 1. 16.

V

Numerus bonorum angelorum [a] maximus est: verùntamen in Scriptura non definitus.

[a] *Dan.* 7.10. *Apoc.* 5.11. *Matt.* 26.53. *Heb.* 12.22.

VI.

Quũ boni angeli hominibus aliquid nuntiaturi essent, apparuerunt eis in specie [a] virorum sive juvenum, insigni pulcritudine præditorum, ac interdum splendore quodam divino conspicuorum. Aliâs apparuerunt quoque in corporibus igneis: sive humanis, ut in visione oblata prophetæ Esaiæ [b] in templo: sive equorum & curruum, ut in Eliæ [c] translatione in cælum, item in Elisæi [d] protectione contra Syros. Apparuerunt autem interdum quidem [e] vigilantibus ac videntibus: interdum verò [f] dormientibus: interdum denique vigilantibus quidem, sed in [g] ecstasin raptis. Quarum apparitionum primum illud genus [h] ὀπτασία secundum verò & tertium [i] ὄραμα in sacris literis nominatur, quanquam [k] reperitur & ὄραμα pro ὀπτασία.

[a] *Gen.* 18.2. & 4. & *cap.* 19.2. & deinceps. | *Heb.* 13.2. *Iud.* 13.6. & deinceps. *Marc.* 16.5. *Luc.* 24.4. *Act.* 1.10. [b] *Esa.* 6. *Ezech.* 1. [c] 2. *Reg.* 2. [d] 2. *Reg.* 6. [e] *Ge.* 18. *et* 19 *Luc.* 1.11. & 28.

[f] *Matt.* 1.20. [g] *ut accidit Iohanni in Apocalypsi, Apoc.* 1.10. [h] *Luc.* 1.22. & *cap.* 24.23. *Act.* 26.19. [i] *Act.* 10.17. 19. & *cap.* 11.5. & *cap.* 16.9. [k] *Matth.* 17.9. *Act.* 10.3.

VII.

Etsi autem magna est bonorum angelorum majestas ac divinus [a] splendor: tamen [b] adorare eos nefas est: quum creaturæ sint, & conservi nostri.

[a] *Matt.* 28.3. *Act.* 1.10. *Dan.* 10.5. & 6. [b] *Apoc.* 19.10. & *cap.* 22.8. & 9. *Coloss.* 2.18. *Iud.* 13.16.

VIII.

Vsus hujus doctrinæ est; ut in periculis constituti, protectionem sanctorum angelorum à Deo petamus: confidamusq́; illos nobis ex [a] promissione Dei præstò fore.

[a] *Psal.* 34.8. *item Psal.* 91.11.12.

IX.

Atque hæc de angelis bonis. Mali angeli sunt, qui per rebellionem contra Deum, ex integritate sua in qua fuerunt creati [a] exciderunt, atque ita ex bonis mali evaserunt: qua malitia perpetuò instigantur ad officiendum gloriæ Dei & saluti hominum.

[a] *Ioh.* 8.44. *Iudæ* 6. 1. *Pet.* 2.4.

X.

Nominantur in scriptura, spiritus [a] mali: item [b] Sehirím שעירים, id est, horrentes vel horrifici, quia horridi sunt

[a] 1. *Sam.* 16.15. & deinceps. [b] *Levit.* 17.7.

quum apparent, & horrorem iis incutiunt quibus apparent. Item [c] Shedím שדים, id est, vastatores: quia intenti sunt ad res humanas vastandas. Et hæc nomina reperiuntur in testamento veteri. In novo autem appellantur [d] δαιμόνια, dæmonia, à sagacitate in cognoscendis rebus occultis: item spiritus [e] immundi, eò quòd homines ad omne immunditiæ ac spurcitiæ genus instigant, atque ipsi quoque illis permixti perpetrant. Ad hæc nominantur quoque [f] principatus, potestates, domini mundi, rectores tenebrarum seculi hujus, spirituales malitiæ, seu spiritus nequam: quia potenter agunt homines reprobos.

[c] Deut. 32.17 [d] Matt. 9.34. & passim apud Evangelistas. 1. Cor. 10. 20. 1. Tim. 4.1. Iac. 2. 19. Apoc. 9. 20. [e] Mat. 10. 1. & passim apud Evangelistas. [f] Eph. 6. 12.

XI.

Est autem horum quoque numerus [a] magnus: sed in Scriptura non definitus.

[a] Luc. 8. 30.

XII.

Princeps eorum nominatur Hebraico vocabulo [a] Satan, id est, adversarius, eò quòd Deo & filiis Dei adversatur: item [b] Beelzebub sive [c] Bahal-zebub, id est, dominus muscæ seu princeps muscarum: quòd olim apud Ekronitas abigeret muscas, ac muscæ figurã haberet. Græcè autem nominatur [d] διάβολος, diabolus, id est, calumniator, eò quòd verba & facta Dei ac filiorum Dei [e] calumniatur: item [f] ὁ πονηρὸς, id est, nequam seu malignus ille, eò quòd fidelibus malitiosè ac nequiter negotium facessit: denique [g] ὁ πειράζων, id est, tentator, eò quòd fideles tentat, conando eos in peccatum & exitium inducere. Item vocatur [h] princeps mundi, & [i] draco magnus, ac serpens antiquus. Reliquæ verò, nominantur [k] angeli ipsius.

[a] Iob. 1 6. & sæpius in illo cap. 1. & 2. & secundo. Zach. 3. 1. Luc. 10. 18. & passim in N. T. [b] Mat. 12 24 [c] 2. Reg. 1. 2. [d] Mat. 25 41 Iob. 8. 44. 1. Iob. 3 8. [e] Iob. 1. 9. [f] Mat. 6. 13. Eph. 6. 19. 1. Ioh. 3. 12. [g] Mat. 4. 3. 1. Thes. 3. 5. [h] Ioh. 12. 31. & cap. 14. 30. & cap. 16. 11. [i] Apoc. 12. 9. [k] Mat. 25. 41. 2. Cor. 1. 7.

XIII.

Etsi autem Satan seu diabolus cum suis angelis, Deo & filiis Dei adversatur quantum in ipso est, nimirum voluntate & conatu: non tamen effectu, ita nimirum ut vel fidelibus perniciem afferre, vel quicquam efficere possit quod Deus nolit. Deus enim illum potentiæ suæ freno vinctum constrictumq; tenet, ut ea modò exequatur quæ ei

ei[a] divinitus concessa fuerint. Nec verò permittit diabolo ejúsve angelis Deus, ut electis[b] exitium afferant: sed tantùm ut eos[c] tentando exerceant.

a 1. Reg. 22. 20. & deinceps. Iob 1. 6. & cap. 2. 1. Matt. 8. 31. & 32. b Matt. 24. 24. Luc. 22. 31. 32. Ioh. 10. 28. 29. 30. Rom. 8. 35. & deinceps. c Matt. 4. 1. & deinceps. Eph. 6. 12. & deinceps.

XIV.

Vsus hujus de malis spiritibus doctrinæ est, ut[a] solicitissimus ad præcavendas eorũ insidias & molitiones[b] tum iis[c] armis nos instruamus, quæ ad propulsandos tam potentes ac tam multos hostes satis firma sint & valida: præcipuè verò ut imbecillitatis & ruditatis nostræ nobis conscii, Dei opem invocemus: ut nos contra illorum insidias & insultus protegat. Porrò arma illa quibus contra malos spiritus pugnandum est, aut extra nos sunt, ut Dei[d] promissiones & [d] præcepta: aut intra nos, ut[e] fides & [f] preces, nec non[g] obedientia erga Dei præcepta.

a Mat. 26. 41 Eph. 4. 27. Eph. 6. 11. & deinceps. b Eph. 6. 13. & deinceps. c Mat. 4. 4. Eph. 6. 15. d Mat. 4. 7. & 10. Eph. 6. 17. e 1. Pet. 5. 9. Eph. 6. 16. f Eph. 6. 18. g Eph. 6. 14.

Locus V.

De prima naturæ nostræ integritate: ubi de imagine Dei & libero arbitrio.

Aphorismus I.

QVoniam post angelos inter creaturas Dei proximũ locum tenet homo: operæ precium est cognoscere, qualis ille initio à Deo sit conditus: ut sciamus, vitiositatem qua nunc deformatus est, non esse ei inditam à Deo creante, sed aliunde accessisse.

II.

Igitur homo initio à Deo conditus fuit[a] ad imaginem ipsius; ita ut Deo creatori suo similis esset, quatenus naturam ejus divinis quibusdam dotibus referebat.

a Gen. 1. 27.

III.

Hæ dotes fuerunt partim in anima, partim in corpore. Ac in anima quidem fuit primùm eximia[a] sapientia in mente seu intellectu, qua & Deum opificem suum & opera Dei sive creaturas rectè cognoscebat; deinde fuit in

a Col. 3. 10. Gen. 1. 23.

voluntate & appetitu conformitas cum voluntate Dei, quam Apostolus veram [b] justitiam & sanctitatē appellat. In corpore fuit majestas quædam imperatoria ex hominis vultu resplendens, unde [c] à bestiis pro domino agnoscebatur. Atque hujus majestatis vestigium quoddam elucet etiam nunc in eo, quòd feræ belluæ patiuntur se domari & curari, ut homini obtemperent, aut saltem eum non lædant.

b Eph. 4. 24.

c Gen. 1. 28.

IV.

Voluntas hominis in prima illa naturæ integritate fuit [a] libera, qua scil. poterat eligere bonum vel malum; ac proinde poterat Deo obedire vel non obedire.

a Gen. 3. 18.

Locus VI.

Providentia Dei.

Aphorismus I.

Providentia Dei est æternum, sapientissimum justissimum atque immutabile [a] consilium sive decretum Dei, quo res [b] singulas à se conditas ad suam ipsius [c] gloriam & electorum suorum [d] salutem gubernat.

a Act. 2. 23. Act. 4. 27. 28

b Matt. 10. 29. 30. Luc. 12. 6. 7. Exod. 21. 13. Deut. 19. 4. 5. Prov. 16. v. ult. Heb. 1. 3.

c Prov. 16. 4. Rom. 9. 22. 23.

d Rom 8. 28. 1. Cor. 11. 32.

II.

Hinc efficitur, nihil fieri fortuitò.

III.

Etsi Deus providentiâ suâ etiam gubernat [a] peccata: tamen non est causa sive author peccati: quia peccato non delectatur, sed potius illud [b] abhominatur: nec ipse peccat, peccatéve potest: item, quia peccatum nec mandat nec suadet: nec infundit peccantibus malitiam, nec eos ad peccandum cogit: ac præterea [c] ad bonum finem omnia dirigit.

a Gen. 37. 28 & cap. 45. 5. 7. 8. Exod 7. 6. & cap. 8. 15. 2. Sam. 12. 12 & cap. 16. 10. 11. 1. Reg. 22. 19. & seq. Item 2. Chron. 18. 18. & seq. Iob. 1. 21. Esa 10. 5. & seq. Act. 2. 23. & cap 4. 27. 28.

b Psal. 5. 7. 5. 6. 7.

c Gen. 50. 20. Prov. 16. 4. Exod. 9. 16. Rom 9. 17. Rom. 8. 28.

Hinc

IV.

Hinc ſequitur, homines non poſſe peccata ſua per providentiam Dei excuſare. Nam impios quidem [a] conſcientia ſua convincit propriæ malitiæ: & illi non inviti peccant, ſed potius [b] lubentes, ac ſæpe pleno [c] impetu; ſemperq́; finem [d] malum propoſitum ſibi habent: pii verò per [e] concupiſcentiam pravam ſeducti, ad peccandum inducuntur; & peccato perpetrato, culpam cum deteſtatione [f] agnoſcunt.

a Mat. 27. 4. Gen. 45. 3 et cap. 42. 21.
b 2. Sam. 16. 22.
c 2. Sam. 16. 13.
d Gen. 50. 20. Eſa. 10. 7.
e Iac. 1. 13. 14 15.
f Pſal. 51. Mar. 14. ult.

V.

Vtilitas hujus doctrinæ triplex eſt. Prima, ut in rebus adverſis ſimus [a] patientes: quippe quum ſciamus, [b] Deum immittere nobis res adverſas, non ut perdat, ſed ad [c] bonum. Secunda, ut in rebus ſecundis ſimus erga Deum [d] grati: quippe quum ſciamus, Deum inclinare animos & actiones hominum, ut nobis [e] bene velint ac benefaciant: aut certè licet malè velint, non tamen [f] malefaciant, quin potiùs benefaciant. item rebus inanimatis [g] vim inſpirare, ut nobis utiles eſſe poſſint. Tertia, ut certò [h] ſperemus, Deum patris officium erga nos ſemper facturum, tum in malis avertendis, tum in bonis communicandis.

a Gen. 45. 4. et deinceps: et cap. 50. 19. 20. 21. 2. Sam. 16. 11 Iob. 1. 21.
b Amos 3. 6. Eſa. 45. 7. 1. Cor. 11. 32.
c Gen. 50. 20. Rom. 8. 28. 1. Cor. 11. 32.
d Gen. 24. 27.
e Gen. 32. 6.

collatione facta cum cap. 33. 4. item cap. 39. 4. & 21. f Exod. 3. 21. & c. 12. 35. 36. Gen. 31. 24. Num. 22. & 23. g Luc. 12. 15. Levit 26. 26. Eſa. 3. 1. Hag. 1. 6. 1. Reg. 19. 3. h 1. Sam. 17. 35. 2. Tim. 4. 18.

VI.

Ita confidere debemus providentia Dei, ut tamen media, ſi ad manum ſint, non contemnamus: ſed iis reverenter & in timore Domini, tanquam providentiæ divinæ inſtrumentis utamur: non ut fiduciam in iis collocemus, ſed [a] ne tentemus Dominum.

a Mat. 4. 7. Act. 27. 24. 30. 31. Gen. 32.

Locus VII.

De Peccato.

Aphorismus I.

Peccatum eſt actionis naturæve hominis [a] à lege Dei diſcrepantia. Ac proinde peccatum ex lege [b] cogno-

a 1. Ioh. 3. 4.
b Rom. 3. 20. & cap. 7. 7.

scitur, videlicet per collationem tum vitæ tum naturæ hominis cum Lege: quemadmodum maculæ faciei cognoscuntur per collationem faciei cum speculo.

II.

Peccatum aut primum est, aut à primo ortum.

III.

a Gen.3. Rom.5. Primum peccatum, est [a] lapsus ille seu inobedientia primorum nostrorum parentum in paradiso, transgredientium mandatum Dei de non edendo fructu certæ arboris.

IV.

Ortum peccatum est aut originale, aut actuale.

V.

a Psal.51.7. Eph.2.3. b Rom.5.12. & deinceps. c Rom.7.20. Originale, quod inde [a] ab origine conceptionis hæret in natura: videlicet [b] defectio omnium naturalium hæredum Adæ in lumbis ejus, & inde secuta corruptio naturæ quam Apostolus peccatum [c] inhabitans nominat.

VI.

Corruptio hæc præcipuè attingit mentem & voluntatem.

VII.

a 1.Cor.2.14. Joh.1.5. & 18.item cap. 6.44.& deinceps. & cap. 9.39.Mat.16 17.Act.26. 18.Rom.1. 21.22.23. Mens ita obtenebrata est, ut licet in rebus terrenis & ad vitæ civilis mores pertinentibus aliquid (& quidem sæpe multum) cernat: tamen in rebus cælestibus, id est pertinentibus ad verum Dei cultum & æternam animarum salutem [a] cæca sit.

VIII.

a Gen.6.5. & cap.8.21. Rom.8.7. Voluntas verò ita est [a] depravata, ut licet homo sibi bene esse velit: tamen nihil eorum velit quæ ad verum Dei cultum, & salutem suam æternam pertinent; quin potius ut quàm vehementissimè velit his contraria.

IX.

a Rom.6.12. & deinceps. b Rom.2.14. c Rom.8.2. 10.11. Peccatum originale quo ad corruptionem naturæ: aut [a] regnat, ut fit in plerisq; non renatis: aut non regnat, sed patitur resistentiam: idq; sive à solo lumine [b] naturali rationis, ut fit in non renatis iis qui dicuntur continentes: sive insuper à [c] Spiritu sancto, ut fit in renatis.

Ex

X.

Ex peccato originali quoad naturæ corruptionem, emanat peccatum actuale; quod in actione (ut cogitatione, sermone aut facto aliquo) consistit.

XI.

Actuale peccatum variè distingui potest. Ac primò quòd est aut commissionis, aut omissionis. Commissionis peccatum est quo committitur aliquid in Lege prohibitum: ut homicidium, adulterium, furtum. Omissionis peccatum est, quo omittitur aliquid in Lege imperatum: ut quum quis parentibus non exhibet debitum bonorem.

XII.

Secundò peccatum actuale committitur omittiturve aut solâ animâ, aut animâ & corpore simul [a]. [a] 1. Cor. 7. 34. Item 2. Cor. 7. 1.

XIII.

Tertiò, alia committuntur in Deum, alia in proximum, alia in nos ipsos [a]. [a] Tit. 2. 12.

XIV.

Quartò peccatum actuale est aut involuntarium, aut voluntarium. Involuntarium: ut malæ [a] cogitationes & [b] cupiditates quæ etiam invitis obrepunt. Voluntarium, quum voluntas pravis cupiditatibus delectatur, aut saltē eis indulget. Vnde voluntarium peccatum rursus aut plenum, aut fractum est. Plenum; quum quis [c] plena voluntate ac toto impetu ruit ad agendum ea ad quæ pravæ cupiditates impellunt. Fractum, quum quis prava cupiditate [d] abripitur ut consentiat ad agendum quæ non probat. Adhæc voluntarium distingui quoque potest in temerarium & deliberatum. Temerarium: quum voluntas [e] temerè ac subitò pravis cupiditatibus consentit ac cedit. Deliberatum: quum voluntas non statim ac subitò pravis affectibus consentit, sed [f] antegressa deliberatione. [a] Mat. 15. 19 [b] Rom. 7. 7. & 8. Matt. 5. 22. & 28. [c] Iob. 8. 34. [d] Rom. 7. 15. & deinceps. [e] 1. Sam. 25. 13. [f] 2. Sam. 11.

XV.

Quartò peccatum actuale est aut occultum aut cognitum. Ac rursus occultum [a] tum agenti tum aliis; aut [b] aliis quidem, non tamen agenti. Item cognitum aut soli agenti, simul & aliis. [a] Psal. 19. 13 [b] 1. Tim. 5. 24.

XVI.

a *Mat.12.31.* Sextò peccatum actuale, est [a] aut remissibile aut irremissibile. Remissibile, cui accidit resipiscentia. Irremissibile, cui resipiscentia non contingit: cujus generis est unicum illud peccatum quod nominatur blasphemia [b] in Spiritum sanctum: quum quis veritati doctrinæ cælestis contra testimonium Spiritus sancti quo de illa convictus est in conscientia sua, ex diabolica malitia contradicit, illiusq; confessores odit & hostiliter persequitur, quod genus peccati Christus Pharisæis objecit. Et Iohannes id

b *Ibid.*

c *1.Ioh.5.16.* nominat peccatum [c] ad mortem: ac monet pro illo qui istud peccatum admittit, non esse orandum. Cujus rei

d *Heb.6.4. & deinceps.* ratio est, quia (ut Paulus ad Hebræos docet) [d] impossibile est tales renovari ad resipiscentiam: obstante scilicet

e *Gal. 6.7.* justo Dei judicio qui [e] non patitur se irrideri; aut Spiritum suum, qui est spiritus veritatis, mendacii argui.

XVII.

Atque in hoc sensu si accipiatur distinctio vetus, qua peccatum distinguitur in veniale & mortale, admitti potest. Secus non item: si scilicet veniale intelligatur quod mereatur veniam, quum sit exiguum: mortale, quod mereatur mortem, quum sit magnum. Etenim suâ naturâ

a *Rom.6.ult.* omne peccatum, etiam minimum, mortem [a] meretur: & quidem mortem non solùm temporalem, sed & æternam.

b *1.Ioh. 5.16* Contrà veniam [b] adipiscuntur quicunque resipiscunt & in Christum credunt, etiamsi gravissima peccata admiserint.

XVIII.

Porrò remissibile peccatum est aut levius aut gravius. Quod utrumque æstimatur aut ex causa procreante antecedente, quæ Græcis dicitur προηγουμένη, aut ex modo agendi, aut ex objecto seu re in qua peccatum committitur. Ex causa levius est, quod committitur ex ignorantia, ut persequutio Pauli: aut ex infirmitate, ut lapsus Petri: Gravius, quod cõmittitur contra conscientiam, ut adulterium & homicidium Davidis: aut ex malitia, ut maledicta Semei. Ex modo agendi levius peccat qui stuprum offert mulieri à se persuasæ, ut stuprum à Davide oblatũ Bathsa-

Bathſabææ: quàm qui per vim, ut vitium oblatum Dinæ à Sichem, item ſtuprum oblatum uxori Levitæ à Gabaonitis. Ex objecto levius eſt furtum unius nummi, quàm centum aut mille coronatorum. Item levius eſt furtum pecudis, gravius hominis; quod plagium dicitur. Item levius eſt, dicere verbum otioſum: gravius, dicere verbum blaſphemum aut proximo noxium.

XIX.

Ex iſtis diſtinctionibus percipitur, peccata eſſe inæqualia: contrà quàm Stoicorũ paradoxum pronuntiavit. Quod ipſum intelligitur etiam ex [a] inæqualitate pœnarum. [a] *Mat.* 11. 15.

XX.

Atque hæc de peccati ſpeciebus & gradibus. Author peccati primus eſt [a] diabolus, decipiens primos noſtros parentes: tum poſt illum ipſi [b] primi noſtri parentes, deceptioni diaboli locum dantes. [a] *Gen.* 3. 6. *& deinceps.* *Ioh.* 8. 44. 1. *Ioh.* 3. 8. [b] *Gen.* 3. 6.

XXI.

Effectum ſeu pœna peccati eſt [a] mors; tum corporis tum animæ: tum temporalis, tum æterna: nec non omnis generis [b] ærumnæ ac miſeriæ. [a] *Rom.* 8. *ult.* [b] *Gen.* 3. 16. *& deinceps.*

Locus VIII.

De Lege Dei.

Aphorismus I.

Lex Dei eſt [a] doctrina [b] à Deo [c] per Moſen dato populo [d] Iſraëlitico, qua [e] teſtatus eſt, quomodo ab eis coli vellet. [a] *Pſal.* 1. 2. [b] *Exod.* 20. 1. 2. [c] *Exod.* 19. *Ioh.* 1. 17. *Gal.* 3. 19. [d] *Deut.* 6. 6. *& deinceps. Pſal.* 147. *ult. Deut.* 4. 6. 7. 8. [e] *Pſal.* 19. 8. *Item Pſal.* 78. 3. *& 56.*

II.

Legem Dei [a] aliæ [b] morales ſunt, aliæ [c] ceremoniales, aliæ [d] judiciales. [a] *Rom.* 9. 4. [b] *Exod.* 20. [c] *Levit.* [d] *Exo.* 21. 22.

III.

Iudiciales, ſunt leges [a] de jure contractuum & pœnis [a] *Exod.* 21. 22. 23.

eorum qui deliquerint, in hunc finem latæ, ut justitia inter cives & tranquillitas publica vigeat, & leges Dei à contemptu vindicentur.

IV.

Ceremoniales, sunt leges [a] de ceremoniis à Deo institutis ad cultum ipsius externum, & ad populum erudiendum de ratione salutis suæ æternæ per Christum venturum.

a Levit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

V.

Morales, sunt leges [a] de moribus seu officiis singulorum perpetuis tum erga Deum, tum erga proximum.

a Exod. 20. 1. &c. Deut. 5. 6. &c.

VI.

Morales leges etsi passim in libris Mosis dispersæ sunt: tamen in [a] Decalogum (qui dicitur) summatim sunt collectæ.

a Ididem.

VII.

Decalogus in [a] duas tabulas distributus est: quarum prior quatuor præcepta continet de officiis nostris erga Deum, sive [b] de dilectione Dei; Posterior verò tabula continet præcepta sex de officiis nostris erga proximum, sive [c] de dilectione proximi.

a Exo. 24. 12 & cap. 31 18. & cap. 32. 16 & cap. 34. 1.
b Mat. 22. 37 Deut. 6. 5.
c Ibid. 39. Levit. 19. 18.

VIII.

Præcepta illa maximam partem synecdochicè concepta sunt, ita ut ex interdictis vitiorum mandata contrariarum virtutum, & contrà ex mandatis virtutum interdicta contrariorum vitiorum: itemq; ex specie una universum genus, denique ex factis externis consilia & cupiditates internæ simul intelligendæ sint.

IX.

Præterea ad rectam & plenam Decalogi interpretationem hæ quoque regulæ observandæ sunt. *Sententia cujusque præcepti sumenda est ex fine seu scopo propter quem est datum, nempe ex fine proximo.* Verbi gratiâ, quinti præcepti finis est, ordinis politici conservatio: complectitur ergo superiorum erga inferiores & inferiorum erga superiores officia: quia sine his ordo politicus conservari non potest. Item, *Propter fines diversos unum & idem opus in diversis præceptis contineri potest: quia fines faciunt actionum discrimina.* ut

defensio,

defenſio, quatenus eſt officium parentũ erga liberos, aut magiſtratus erga ſubditos, in quinto præcepto mandatur: quatenus autem eſt officium fortitudinis conſervantis vitam proximi, in ſexto præcepto continetur. Sic falſum teſtimonium quatenus petit famam proximi, pertinet ad præceptum nonum: quatenus autem petit proximi vitam, ad ſextum.

Item, *Cum relativis ſanciuntur etiam correlativa: quoniam illa ſine his nequeunt conſiſtere.* Dum igitur præcipitur quinto præcepto ut aliqui pareant, præcipitur etiam ut aliqui præſint gubernationi: & dum jubentur ſuperiores honore affici, jubentur etiam ita ſe gerere ut honore digni ſint. Sic in quarto præcepto dum jubentur homines diſcere verbum Dei, jubentur etiam aliqui docere. Item, *Secunda tabula cedere debet primæ: quia proximus diligendus eſt propter Deum, nempe propter Dei mandatum & gloriam.* Itaque parentes ac omnino ſuperiores, honorandi quidem ſunt, ſicut in primo præcepto ſecundæ tabulæ præcipitur: ſed (ut Apoſtolus ait) [a] in Domino, id eſt, in timore Domini, ita ut Dominus non offendatur dum illi honorantur. [a] *Eph.6.1.*

Veruntamen hęc regula intelligenda eſt de moralibus: in his enim ſecunda tabula primæ cedit, non autem in ceremonialibus. Si igitur neceſſitas & ſalus proximi omiſſionem ceremoniæ poſtulat: ceremonia potiùs [b] omittenda quàm ſalus proximi negligenda eſt. Quare hæc quoque regula tenenda: *Lex ceremonialis cedit morali.* [b] *Oſe.6.6. Mat.12.3.4. & cap.15.3. 4.5.6.*

X.

Legem ſuam tulit Deus, partim [a] ut populum ſuum ab omnibus aliis populis hac inſigni nota diſcerneret: partim [b] ut ab eo ſecundùm præſcriptam regulam coleretur: partim denique [c] ut illum ad fidem Chriſti venturi præpararet. [a] *Pſal.147. 19.20.* [b] *Deut.4.6.7.& deinceps. & cap.12.32.* [c] *Gal.3.23. 24. Heb.9.& 10*

XI.

Præparavit autem tum erudiendo, tum urgendo.

XII.

Erudiendo quidem per ceremonias, quatenus illæ viſibiles prophetiæ erant de Chriſto, [a] adumbrantes ſacrificium illius, quo peccata omnium electorum expiare debuit. [a] *Heb.9.et 10*

XIII.

Vrgendo autem, quatenus eos tum per ipſas ceremonias, tum per legem moralem [a] convincebat peccatorum, tum verò maximè, quatenus eos per [b] comminationem maledictionis adigebat ad gratiam in Chriſto quærendum.

a Coloſſ. 2. 14. Rom. 3. 20.
b Deut. 27. 26. Gal. 3. 10.

XIV.

De abrogatione Legis ſic habendum. Abrogari dicitur Lex, quum antiquatur ſeu è medio tollitur: ita ut quibus lata erat, quique eâ tenebantur, non ampliùs eâ teneantur.

XV.

Moralis igitur lex, quum ſit æterna juſtitiæ regula, & [a] dilectionem Dei ac proximi in ſumma requirat (quæ officia hominis perpetua ſunt) non poteſt dici abrogata eſſe. Etſi interea verum eſt, fideles ab illius tum [b] maledictione tum [c] rigore ſeu rigida exactione per Chriſtum eſſe liberatos.

a Mat. 22. 40
b Galat. 3. 13
c 1. Ioh. 5. 3. Rom. 6. 14.

XVI.

Ceremonialem Legem [a] abrogatam eſſe, ex ipſo ejus fine atque uſu planum eſt. Inſtituta enim erat, ut populũ rudem inſtar [b] pædagogi de Chriſto venturo erudiret, atque ita ad illum veluti manu duceret, Chriſti ſacerdotiũ variis modis [c] adumbrando ac præfigurando. Poſteaquam igitur ipſa [d] veritas & viva atque [e] expreſſa rerum ad ſalutem nobis acquirendam neceſſariarum imago in Chriſto eſt exhibita: conſequens eſt, umbras illas ac figuras legales eſſe abolitas, & pędagogum illum ſuo munere jam perfunctum eſſe.

a Col. 2. 14. 16. 17. Eph. 2. 14. 15. Galat. 3. 25.
b Gal. 3. 24.
c Heb. 9. et 10 Col. 2. 17
d Ioh. 1. 17.
e Heb. 10. 1.

XVII.

De judicialis Legis abrogatione difficilior quæſtio eſt. Nam nec ſimpliciter dici poteſt adhuc durare, quum politia Moſaica ſit abolita: nec tamẽ omnino abrogata dici poteſt, quum multas leges contineat, quarum finis & ſcopus perpetuus eſt. Sic autem videtur ſtatuendum: Magiſtratum Chriſtianum legibus Moſis judicialibus nõ teneri, quantum ad circumſtantias quaſdam populo Iſraëlitico peculiares attinet: veruntamen quod attinet ad

ipſa

ipſa [a] pœnarum genera, quæ ad tuendum authoritatem Decalogi à Deo ſancita ſunt, videtur certè hodiè magiſtratus populi Chriſtiani non minùs quàm olim magiſtratus populi Iſraëlitici, legibus iſtis obſtrictus eſſe. [a] Lev. 24. 1. Deut. 13. 5 & 10.

LOCUS IX.

De ſimilitudine & diſcrimine veteris & novi Teſtamenti.

APHORISMUS I.

TEſtamenti vocabulum hic uſurpatur ad ſignificandũ fœdus quod Deus pepigit cum ſuo populo.

II.

Quæ quidem appellatio orta eſt ex eò, quòd Græci ſacrorum Bibliorum interpretes vocem Hebraicam ברית Beriſth, quæ pactum ſeu fœdus ſignificat, reddiderunt [a] διαθήκην, id eſt teſtamentum: accipientes hanc vocem (ut videtur) ſenſu generali, tanquam dicerent συνθήκην, id eſt, pactum ſeu fœdus. Vnde Apoſtolus quoque ad Hebræos vocem διαθήκην [b] retinuit, & ex propria illius ſignificatione argumentum duxit. [a] 1. Reg. 5. 2. Reg. 23. Eſa 59. Ierem. 31. [b] Heb. 9. 15. 16. 72.

III.

Et ſanè fœdus ſeu pactum illud gratuitum Dei, cum teſtamento commune hoc habet, quòd non niſi [a] morte unius ex paciſcentibus ſanciri atque confirmari potuit: videlicet morte filii Dei, qui unâ cum Patre & Spiritu ſancto fœdus illud gratiæ cum populo ſuo pepigit. [a] Heb. 9. 15. 16. 17.

IV.

Imò etiam fœdus Legale morte [a] percutiendum, quanquam cæremonialiter tantùm, confirmatum fuit. [a] Exod 24. 5. 6. 7 8. Heb. 9. 18. 19. 20.

V.

Fœdus igitur Dei cum ſuo populo in Scriptura traditur duplex, Legale & Gratuitum.

VI.

Legale fœdus eſt quo Deus Iſraëlitis olim promiſit omnis generis benedictiones [a] corporales atq; ipſam vitam [a] Levit. 26. Deut. 28.

[b] æternam, sub conditione perfectæ [c] obedientiæ, Legi suæ ex [d] propriis ipsorum viribus præstandæ: & contrà [e] maledictiones varias ipsamq; mortem [f] æternam minatus est omnibus iis qui vel [g] unum Legis mandatũ transgrederentur. Atque hujus fœderis sanctio describitur Exod. 24.

b *Levit.* 18.5 *Gal.* 3. 12. *Ma.* 19.16.17 *Luc.* 10.25. 26.27.28.
c *Ibidem.*
d *Deut.* 6.5. *Luc.* 10.27.
e *Levit.* 26. *Deut.* 27.
f *Gal.* 3.10.
g *Ibidem.*

VII.

Gratuitum fœdus est quo Deus gratuitum suum [a] favorem in [b] æternum duraturum, promisit omnibus in Christum credentibus: sub [c] conditione quidem illius fidei & cum ea conjunctæ sinceræ pietatis seu novæ obedientiæ: veruntamen neutrius tanquam ex propriis credentium viribus præstandæ, sed tanquam ex gratuito illo favore ab ipso [d] donandæ.

a *Gen.* 12.1. 2.3. *item* 17 *cap.* 15. & *cap.* 17
b *Ierem.* 32.40.
c *Mar.* 16.16 *Ioh.* 3. 16. *Rom.* 10.9.10
d *Ierem* 31. 33.34. *Eph.* 2.8. *Ioh.* 5. 25. *Ioh.* 6.45.

VIII.

Quum inter se opponuntur Vetus & Novum testamẽtum seu fœdus: observandum est, Vetus fœdus duobus modis dici: interdum quidem ad significandum fœdus [a] legale; interdum verò ad signficandũ fœdus gratuitum, qualiter pactum est cum Abrahamo & ejus posteris. Novi autem fœderis appellatione non nisi gratuitum fœdus intelligitur.

a *Ierem.* 31. 31.32. *Heb.* 8 8.9. 13. & *cap.* 9. 15.18.

IX.

Iam quum quæritur de Veteris & Novi testamenti similitudine & discrimine: nomine Veteris testamenti intelligendũ est fœdus gratuitum, qualiter pactum fuit cum [a] Abrahamo cæterisq; patribus ante Christi adventum. Quapropter in illâ utriusque testamenti inter se collatione non est mentio fœderis Legalis permiscenda.

a *Gen.* 17.

X.

Similitudo igitur seu convenientia utriusque testamẽti posita est in fœderis gratuiti substantia, differentia verò seu discrimen, in ejusdem administratione consistit.

XI.

In substantia fœderis tria consideranda veniunt: quorũ primum est scopus vocationis electorum: secundum causa fœderis impulsiva antecedens, quæ Græcè dicitur προηγούμενη: tertium est ejusdem impulsiva irritatrix ac meritoria,

toria, quæ Græcè nominatur προηγουμένη.

XII.

Scopus vocationis Patrum ac federis Dei cum illis icti, fuit beata immortalitas: causa προηγουμένη fuit Dei vocantis gratuita misericordia: προηγουμένη ac meritoria causa, fuit mors Mediatoris.

XIII.

Patribus propositam fuisse non terrenam felicitatem, sed cælestem: his liquet argumentis: [1] Quia vocati sunt per [a] promissionem Euangelii, quo certum est homines ad felicitatem [b] cælestem vocari. [2] quia [c] eadem nobiscum habuerunt sacramenta, eadē inquam significatione, hoc est, ejusdem gratiæ testimonia. [3] quia Deus sanctos illos Patres participatione sui verbi dignatus fuit, quo animæ [d] vivificantur & in spem vitæ æternæ eriguntur. [4] quia Deus Patribus illis promisit, se [e] eis fore in Deum; quo ipso eis promisit, se Deum fore non solùm ipsorum corporibus, sed animis præcipuè: ac proinde promisit, se animas ipsorum per justitiam secum conjuncturum, ut eas [f] vitæ æternæ possit facere participes. [5] quia Deus in fœdere non solùm testabatur, se ipsorum Deum jam esse, sed etiam promittebat se ipsorum Deum semper [g] fore: qua certè promissione felicitas illa cælestis ac vita æterna expressè continetur. [6] quia Deus promisit Patribus, se fore Deum etiam [h] seminis ipsorum post ipsos: id est, se posteris quoque ipsorum jam mortuorum benefacturum propter ipsos seu in gratiam ipsorum. [7] quia Deus de jam defunctis, Abrahamo, Isaaco & Iacobo [i] professus est, se Deum ipsorum esse. [8] quia sancti illi patres multis magnisq; [k] miseriis in hac vita exercitati à Deo fuerunt: unde planum est, eos è manu Dei expectasse beatitudinem nō terrenæ vitæ, sed cælestis: alioquin enim sua expectatione fuissent frustrati, ac proinde decepti promissionibus divinis. [9] quia Paulus ad Hebræos testatur, Abrahamū, Isaacum & Iacobum fœde [l] commoratos esse in terra promissionis tanquam aliena, atque expectasse hereditatem & civitatem & patriam cælestem. [10] quia nisi patres illi complementum promissionum sibi à Deo

a Rom. 1.2. Rom. 3.21. b Eph. 1.13. 2 Thess. 2.14. c 1. Cor. 10. 3. & 4. d 1. Pet. 1.23. e Lev. 26.12 Mat. 22.32. f Psal. 144. 15. Psal. 33.12. Hab. 1.12. Deut. 33.29. g Gen. 17.7. h Ibidem. i Exod. 3.6. Mat. 22.32. k Gen. 4.8. Gen. 6.7.8.9. Gen. 12.13. &c. Gen. 26.27. Gen. 28.29. &c. l Heb. 11.9.10

factarum expectassent in cælis, fuissent stipitibus [m] obtusiores: quippe qui pertinacissimè consectati essent promissiones, quarum nulla spes in terris apparebat. [11] quia patres illi, Abraham, Isaac & Iacob [n] confessi sunt, se esse inquilinos in terra Chanaan: unde necesse est, [o] promissionem illius terræ à Deo eis factam, non esse principaliter & propriè intelligendam de illa ipsa terra & terrena felicitate ibi percipienda, sed de vita æterna tanquam re per illam significata. [12] quia sancti illi Patres [p] sepeliri voluerunt in terra Chanaan, tanquam in symbolo vitæ æternæ sibi divinitus dato. [13] quia apertè constat, sanctos illos patres in [q] omnibus vitæ studiis propositam futuræ vitæ beatitudinem habuisse. [14] quia Iacob moribundus profitebatur, se [r] expectaturū salutem Domini, hoc est à Domino sibi promissam & conferendam: quam certè in hac vita expectare tum non poterat, quippe ex qua jamjam excedebat. [15] quia prophetæ testantur, fedus illud Dei cum Patribus ictum [s] spirituale fuisse, ac proinde illis vitam æternam in illo promissam esse. [16] quia CHRISTUS cœlestem felicitatem promittens discipulis, ait, eos [t] recubituros in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob. [17] quia Petrus fidelibus Iudæis sui temporis [u] promittens gratiã Euangelicam, id est remissionem peccatorum & vitam æternam, fecit eos hac in re pares ipsorũ patribus. [18] quia Christus [x] resurgens multos sanctorum secum ad vitam æternam excitavit: quare quum omnium par sit ratio: reliqui quoque suo tempore ad eandem felicitatem excitabuntur. [19] quia sancti illi patres eodem [y] fidei spiritu prædicti fuerunt quo nos. Ergo non minùs quàm nos, regenerati fuerunt ad spem vitæ æternæ.

m 1. Cor. 15. 19.
n Gen. 47. 9. Psa. 39. 13.
o Gen. 15. 18.
p Gen. 47. 29. 30. Gen. 50. 24.
q Psal. 119. 166. & 174.
r Gen. 49. 18.
s Esa. 51. 6. Iob. 19. 25. &c.
t Iob. 13. 15. Esa. 66. 22. &c. Dan. 12. 1. &c.
u Matt. 8. 11.
x Act. 3. 25. Mat. 27. 52
y 2. Cor. 4. 13 Gen. 15. 6. Heb. 11.

XIV.

Iam fedus illud, quo Patres cõciliati Domino fuerunt, nullis eorum meritis, sed solâ Dei vocantis [a] misericordiâ fuisse suffultum: item habuisse ipsos & cognovisse [b] Mediatorem Christum, per quem & Deo conjungerentur, & promissionum ejus compotes forent: ex iisdem argumentis colligi potest.

a Ios. ult. 2. 3
b Heb. 11. 4 Ioh. 8. 56. Dan. 9. 17.

Hacte-

XV.

Hactenus ostensa fuit utriusque Testamenti inter se similitudo seu convenientia: sequitur ut etiam ostendatur utriusque dissimilitudo seu discrimen.

XVI.

Discrimen veteris & novi Testamenti in modo administrationis positum, quatuor habet partes.

XVII.

Primum discrimen est, quòd fedus gratuitum in Veteri Testamento (id est, ante Christi adventum & illustrem illam missionem Spiritus sancti) administratum fuit soli [a] Abrahæ unâ cum suis posteris, ac in his præcipuè populo [b] Iudaico seu Israëlitico: in Novo autem Testamento (id est, post Christi adventum ac in cælos ascensionem) administratur [c] aliis quoque populis, non ortis ex Abrahamo, qui a Paulo [d] Gentes & [e] Græci appellantur.

a Gen. 15. 18 & cap. 17. 7. b Mat. 10. 5. 6. & cap. 15. 24. c Rom. 15. 8. c Mat. 28. 19 Marc. 16. 15. Act. 9. 15. d Rom. 3. 29. & passim. e Rom. 1. 16. & passim.

XVIII.

Secundum discrimen est, quòd fedus gratuitum ante Christi adventum administratum fuit obscuriùs, nempe per [a] promissiones de Christo venturo fedusq; confirmaturo, nec non per [b] typos ac ceremonias Christum venturum adumbrantes & præfigurantes: post Christi aduentum autem administratur clariùs, nempe per [c] prædicationem Euangelii & Baptismum ac Cœnam Domini: quæ omnia sunt [d] testimonia de Christo jam exhibito & federe per illum confirmato.

a Gen. 22. 18 & ca. 49. 10 Deut. 18. 15. 2. Sam. 7. 12. Psal. 2. & 72 & 45. Esa 7. 14. & cap. 9 6. & cap. 53. Mich. 5. 2. b Gen. 15. 18. d Act. 1. 8.

Heb. 10. 1. 1. Col. 2. 17. Ioh. 19. 36. c Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. & 16. Matt. 26. 28. Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 25.

XIX.

Tertium discrimen est, quòd ante Christi adventum fedus gratiæ administratũ fuit [a] minore cum efficacia S. sancti: at post Christi adventũ administratur cũ efficacia [b] majore. Etsi enim Spiritus sanctus in Electis Veteris testamenti per promissiones & ceremonias, & maximè per [c] sacrificia, tantam Dei cognitionem effecit, quanta illis ad æternam salutem fuit satis: tamen in electis Novi testamenti operatur lucem [d] cognitionis majorem, ac proinde etiam majorem Dei dilectionem. Nec verò singu-

a Gal. 3. 24. & c. 4. 1. 2. 3. b Act. 2. 17. Ioh. 7. 38. 39. c Psal. 51. 9. d Ier. 3. 34. Esa. 11. 9. & cap. 54. 13. Ioh. 6. 45. 1. Cor. 2. 10. 1. Ioh. 2. 10. & 27.

lare exemplum fidei [c] Abrahæ, tanquam patris credentium, regulari huic atque ordinariæ administrationi obstat.

[c] Rom. 4. 18. & deinceps. Heb. 11. 17. & deinceps.

XX.

Quartum discrimen est, quòd Veteris federis administratio fuit [a] onerosior atque molestior, propter multitudinem & conditionē cæremoniarum: quippe quæ & plures erant quàm nunc, & majoris tùm laboris tū sumptus.

[a] Act. 15. 15.

XXI.

Quòd autem Deus victimas cæterasq; Veteris testamenti cæremonias, post Christi adventum & in cælos ascensionem abrogavit: non est propterea putandum, eum esse inconstantem. Etenim inconstans is demum dicitur, qui mutat suum propositum, aut ab illo aliena facit: at Deus abrogandis victimis pecudum, & aliam rationem cultus instituendo, nec propositum suum mutavit, nec aliena à proposito suo fecit. Nam in utriusque testamenti cultu propositum habet adducere electos suos ad cognitionem salutis suæ in Christo. Nec ab hoc proposito quicquam alieni fecit: sed pro sua sapientia ad finem illum electos suos diversis modis adduxit & adducit; prout videbat utrorumq;, tum veterum inquam, tum novorum cōditionem postulare. Non secus ac peritus medicus facit: qui aliter curat senem, quàm eundem olim curavit juvenem: quod dum facit, non propterea inconstans habendus est, etsi diversa remedia adhibeat. Nam sapienter cōsiderat diversitatem temperamenti in sene & juvene: & illi diversitati remedia accommodat, ac proinde etiam remedia diversa adhibet.

LOCUS X.

De persona & officio Christi.

APHORISMUS I.

COgnitio Christi duabus potissimùm in rebus consistit: nempe ut sciamus cujusmodi persona sit, & quod officium gerat.

Quod

II.

Quod ad perſonam attinet, Chriſtus in una eademq; perſona [a] Deus & homo eſt. Eſt enim filius Dei [b] unigenitus, qui ex [c] ſemine [d] virginis Mariæ ſibi [e] creavit & creando [f] aſſumpſit ac perſonaliter atq; indiſſolubiliter univit verum [g] corpus humanũ, [h] anima rationali præditum; atque ita verus Deus manens, verus homo factus eſt, nobis [i] per omnia ſimilis, ſolo [k] peccato excepto.

a *Rom.9.5.* 1.*Ioh.5.20.* b *Ioh.1.14.* c *Heb.2.16. Luc.1.35.42* d *Luc.1.31. 34 35.* e *Heb.10.5. Iob 1.3.* 1.*Ioh.4.2. Luc.1.35.* f *Heb.2.16.* g *Heb.10.5 & cap.2.14.* h *Mat.26.38. & cap.27.50.* i *Heb 2.17.* k *Heb.4.15.*

III.

Hæc unio perſonalis duarum naturarum in Chriſto, demonſtratur ex tropo ſeu modo loquendi qui à veteribus κοινωνία ἰδιωμάτων, id eſt communicatio idiomatum ſeu proprietatum, dictus fuit. Et autem communicatio illa idiomatum nihil aliud quàm ſynecdoche, qua quod unius in Chriſto naturæ proprium eſt, attribuitur ipſi perſonæ denominatæ à natura altera. Vt quum ait Paulus, [a] Dominum gloriæ crucifixerunt. item, [b] Deus Eccleſiam acquiſivit proprio ſanguine. Et quum ait Chriſtus, [c] Nemo aſcendit in cœlum niſi is qui deſcendit è cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.

a 1.*Cor.2.8.* b *Act.20.28.* c *Ioh.3.13.*

IV.

Diſtinctio autem naturarum interdum exprimitur: ut quum Chriſtus dicitur [a] factus ſeu ortus ex ſemine Davidis ſecundùm carnem, declaratus filius Dei cum potentia ſecundùm ſpiritum ſanctificationis. item quum dicitur eſſe [b] ex patribus, quod ad carnem attinet. Sic quum dicitur [c] mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. Interdum verò iſta diſtinctio atque limitatio ex collatione talium locorum intelligenda relinquitur.

a *Rom.1.3. & 4.* b *Rom.9.5.* c 1.*Pet.3.18.*

V.

Talem autem perſonam oportuit eſſe Chriſtum, ut eſſet idoneus ad officium [a] mediatoris: ad quod nemo fuit idoneus niſi filius Dei homo factus: nimirum quia cognatus utrique parti inter ſe reconciliandæ, ac proinde charus utrique & utramque charam habens. Deinde ſic debuit fungi officio mediatoris inter Deum & nos, ut

a 1.*Tim.2.5. Heb.8.6.*

b Heb.9.15. Deum nobis reconciliaret sua b morte: quam nec si solùm fuisset Deus, sentire; nec si solum fuisset homo, superare potuisset. Item Deum esse oportuit, ut λύτρον (nempe sanguis pro electis effundendus) esset satis c pretiosum: hominem verò, ut d satisfieret justitiæ Dei: denique hominem sanctum, ut & e sacerdos esset sanctus & f victima sancta. Adhæc Deum esse oportuit, ut electi, posteaquam eos merito sui sacerdotii Deo reconciliasset, eisq; impetrasset Spiritum sanctum, eundem quoque dare posset, per quem in eis efficeret fidem, qua illi meriti ipsius fierent participes.

c Act.20.28. 1.Ioh.1.7. d Rom.5.12. & deinceps. e Heb.7.26. f 1.Pet.1.19.

VI.

Officium Christi triplex est: est enim nobis à Patre ordinatus in Prophetam & Sacerdotem & Regem.

VII.

a Deu.18.18 Act.3.22.& cap.7.37. b Mat.4.17. Esa.61.1. Luc.4.21.

a Prophetæ seu doctoris munere functus est, quum in terris ambulans b prædicavit Euangelium, c patefaciens nobis arcanum consilium Dei de nostra salute per ipsum procuranda.

VIII.

c Ioh.1.18.

Sacerdotis officium peregit partim in terris, partim adhuc peragit in cælis. In terris obtulit patri pro nobis a Ioh 17. primùm a preces, deinde b suum ipsius corpus in cruce: eoq; c sacrificio peccata nostra expiavit. In cælis d apparet cum victima semel in terris oblata coram facie patris e absque interruptione, ut reconciliatio semel parta in recenti ac perpetua memoria retineatur.

Heb.5.7. b Heb.7.27. c Heb.9.25. & cap.10.14 d Heb.9.24. e Heb.10.12.

IX.

Regnum Christi inchoatur in hac vita, & nominatur regnum gratiæ: perficietur autem in futura vita, quod nominatur regnum gloriæ. Regnum gratiæ est regnum a Ioh.18.37. spirituale quo Christus regit corda electorum per a verbum suum & spiritum. Quod etsi in veteri quoque Testamento electis suis per sacerdotes & per prophetas, ac sub initium Novi tum per Iohannem Baptistam, tum per seipsum suosq; discipulos administravit: tamen illud solenniter demum inchoavit in die b pentecostes, quum Spiritum sanctum misit in Apostolos ad prædicandum Euan-

b Act.2.

gelium

gelium omnibus populis. Ex illo tempore continuavit hoc regnum suum, & continuaturus est usque dum redeat ad judicium, dominans [c] in medio inimicorum suorum: quorum subinde aliquos mirabiliter punit ac perdit, donec tandem universos plenè subigat & [d] scabellũ pedum suorum ponat in [e] illustri illo adventu suo: quo etiam tempore fideles suos à cruce redemptos [f] in cælũ ad se transferet, regnique sui cæleſtis in æternum participes faciet. Quod jam erit regnum gloriæ, videlicet regnum cæleſte, quo sancti in cælum translati, & tum secundùm animam in vera sapientia & sanctitate confirmati, tum corporum gloriâ seu claritate atq; immortalitate donati, sempiterno honore & sempiternis gaudiis unâ cum Christo fruentur.

[c] *Psal.* 110. 2.
[d] *Ibid.* 1.
[e] 2 *Thes.* 2. 8.
[f] 1. *Thes.* 4. 17.

LOCUS XI.

De Fide.

APHORISMUS I.

QUoniam [a] per fidem participes efficimur Christi & meritorum ejus, morte ipsius partorum, videlicet remissionis peccatorum & vitæ æternæ: operæ pretium est cognoscere, quidnam hæc fides sit, unde oriatur, quorum sit, & quas habeat proprietates.

[a] *Rom.* 3. 25. *Act.* 10. 43.

II.

Est igitur hæc fides certa firmaque [a] cognitio gratiæ DEI, merito mortis Christi nobis reconciliatæ, ac verbo promissionis testatæ: qua quisque fidelium promissionem illam sibi [b] privatim applicat: certò statuens, illam ad se non minùs quàm ad reliquos credentes pertinere.

[a] *Ioh.* 17. 3. *Rom.* 8. 38. 1. *Ioh.* 3. 2.
[b] *Gal.* 2. 20.

III.

[a] Gignitur autem hæc fides in cordibus [b] electorum adultorum, à [c] Spiritu sancto. per [d] Euangelii prædicationem.

[a] *Ioh.* 3. 3. 5. 6. 7. 8. 1. *Cor.* 4. 15. *Philem.* v. 10. 1. *Pet.* 1. 23.
[b] *Ioh.* 6. 37. & *cap.* 8. 47. & *cap.* 10. 26. *Act.* 13. 48. *Tit.* 1. 1. 2. *Thes.* 3. 2.
[c] *Matth.* 16. 17. *Ioh.* 3. 5. 6. 8. *Eph.* 2. 8. *Ioh.* 6. 45. *Act.* 16. 14.
[d] *Rom.* 1. 16. & *cap.* 10. 17. 1. *Cor.* 3. 5. 1. *Pet.* 1. 23. & 25.

IV.

[a] Eph. 3. 12. [b] Psal. 23. [c] Heb. 11. 11. [d] Rom. 4. 21. Heb 11. 19. [e] Ioh. 8. 56. Rom. 14. 17. Ioh. 5. 25. & cap. 6, 57, & 63.

Ex hac fide continuò nascitur [a] fiducia, qua fidelis ac quiescit in [b] favore paterno Dei morte Christi parto, consideratâ simul [c] veritate ac [d] potentiâ illius. Ex hac autem fiducia nascitur [e] gaudium seu lætitia seu deniq; vita spiritualis, quatenus per eam gustatur [f] favor ille Dei.

[f] Psal. 30. 6. item 31. 17. item 36. 10. item 80. 4. 8. 20.

V.

[a] Rom. 5. 5. Rom. 8. 23. 24. 25.

Deinde nascitur ex hac fide [a] spes certa vitæ æternæ gloriæve cælestis, unâ cum Christo fruendæ.

VI.

[a] Rom. 10. 14 Rom. 8. 15.

Tum oritur ex eâdem [a] invocatio Dei tanquam benignissimi ac fidelissimi patris, Deiq; potentissimi.

VII.

[a] Rom. 10. 9. & 10. 2. Cor. 4. 13.

Præterea ex fide nascitur [a] confessio: qua quod corde credimus, idem ore ad gloriam Dei confitemur.

VIII.

[a] 1. Ioh. 3. 3. Gal. 5. 6.

Denique ex ista fide existit [a] filialis amor ac timor seu reverentia, qua fideles Deo placere studeant, offensamq; illius solicitè verentur & cavent.

IX.

[a] Rom. 8. 38. & 39. Ioh. 10. 28. Rom. 11. 29.

Adjunctum habet hęc fides [a] perseverantiæ donum: ita ut nunquam deficiat quantumvis interdum tentationum procellis [b] obruatur ac veluti sepeliatur.

Luc. 22. 32. 1. Pet. 1. 5. & 23. 1. Ioh. 2. 19. 2. Tim. 2. 19. Psal. 1. 3. Esa 42. 3. Ier. 32. 40. Ose. 2. 19. & 20. [b] Marc. 9. 24. Psal. 73.

LOCUS XII.

De pœnitentia: ubi etiam de vita Christiana & tolerantia crucis.

APHORISMUS I.

[a] Mat. 21 29 & cap. 27. 3.

QUum pœnitentiæ vocabulo interdum id intelligatur quod Græcis [a] μεταμέλεια dicitur, quum scilicet aliquem facti pœnitet, sive inde ad rectè agendi studium moveatur sive non: interdum verò id quod Christus & Apostoli

Apostoli [b] μετάνοιαν vocant, quam doctiores [c] Theologi resipiscentiam interpretantur: nos jam vocabulum istud in hac posteriore significatione accipimus.

[b] Matt.4.17. Act.2.38. Rom.2.4. 2.Cor.7.9.10.

2.Tim.2.25. [c] Item ex veteribus Lactant.lib.6.cap.24.

II.

Est igitur pœnitentia, animi naturâ pravi immutatio ac [a] renovatio à sincero serioque Dei [b] timore profecta, quo impellitur animus ad serium rectè agendi Deoque placendi studium.

[a] Ezec.18.31 Ier.4.1.3.4. [b] Ierem.4.4. Act.17.30. 2 Cor.7.10.

III.

Pœnitentia constat duabus partibus, [a] mortificatione carnis, & vivificatione spiritus.

[a] Rom.6.4. 5.6. Eph.4.22.23 24. Coloss.3.5.6. 8 9 10.

IV.

Distingui potest pœnitentia, in ordinariam seu communem, & extraordinariam seu specialem.

Psal.34.15. Esa.1.16.17.

V.

Ordinaria & cōmunis pœnitentia est, cui omnes Christianos per totum vitæ curriculum operam dare cogitnaturæ corruptio.

VI.

[a] Specialis pœnitentia est, quæ velut à morte excitat eos, qui vel turpiùs ceciderunt, vel effrenili licentia se projecerunt ad peccandum, vel quadam defectionis specie excesserunt jugum Dei.

[a] 1.Cor.5.5. 2.Co.12.21.

VII.

Ordinaria pœnitentia confessione [a] coram Deo contenta est: extraordinaria verò requirit etiam confessionem [b] coram Ecclesia, item [c] luctum ac deprecationem, quo Ecclesiæ satisfiat, ut peccatorem propter scandalum excommunicatum rursum recipiat.

[a] Psal.31.5. [b] Psal.51. [c] 2.Cor.2.7. & cap.18.21

VIII.

Est etiam extraordinaria quædam pœnitentia totius alicujus cœtus, quum sentiens imminere flagella Dei, propter publica delicta maximæ partis, [a] fletu & jejunio adhibito Deum deprecantur. Ac olim in Ecclesia Judaica addebant etiam [b] cinerem & saccum.

[a] Ioel.2.12. [b] Esther.4.3. Ier.6.26.

IX.

[a] Author atq; effector pœnitentiæ est Spiritus sanctus.

[a] Act.11.18. 2.Tim.2.25.

X.

[a] Mat.3.8. [b] Luc.9.23. [a] Fructus sive effectum pœnitentiæ est vita Christiana: quæ consistit in [b] abnegatione nostri, meditatione vitæ futuræ, & recto bonorum terrestrium usu.

XI.

Abnegatio nostri partim quidem in homines respicit: partim verò (idq; præcipuè) in Deum.

XII.

Quæ in homines respicit abnegatio nostri, ea consistit partim [a] in honorando illos ex vera animi dejectione, partim [b] in benefaciendo illis ex sincero amoris affectu.

[a] Rom.12.10 Phil.2.3. [b] 1.Cor.13. 4.&c.

XIII.

Quæ in Deum spectat abnegatio nostri, ea nos formatum ad [a] æquanimitatē in amplectenda sorte quam Dominus dederit, tum in primis ad [b] tolerantiam crucis.

[a] Tim.1.5. 1.Joh.3.18. [c] Phil.4.11. 1.Tim.6.8. [b] Rom.8.17.

XIV.

Causæ impulsivæ, quæ nos ad crucem patienter tolerandam movere debent, fere sunt istæ: [1] quia sic est cælestis patris [a] voluntas, ut certum de suis experimentum capiat, eos talem in modum exercere. [2] quia [b] Christum ipsum ex iis quæ passus est, obedientiam discere oportuit: cui nos [c] conformes fieri oportet. [3] quia Christi passionibus communicantes, [d] participes quoq; erimus gloriosæ resurrectionis. [4] quia nobis necesse est sub assidua cruce vitam degere, ut convicti de nostra imbecillitate & fragilitate [e] humiliemur, & sic humiliati discamus [f] implorare virtutem Dei, ejusque præsentiam [g] experiamur, ac denique ut ex isto experimento [h] spes nostra confirmetur. [5] quia necesse habemus [i] ad obedientiam Deo debitam discendam, ut carnis nostrę ferocia remedio crucis subigatur ac refrenetur, vel etiam delicta commissa corrigantur, [k] ne cum hoc mundo damnemur. [6] quia ubi pro justitia persecutionem patimur & maximè pro Euangelii defensione, non solùm non miseri, sed etiam beati sumus ipsius [l] Christi testimonio. Hæ omnes causæ, prout res postulat, ad tolerantiam crucis movere nos atque impellere debent.

[1] Heb.12.5. [a] Heb.5.8. [2] cap.12.2. 1.Pet.2.21. [c] Rom.8.29. [d] Rom.8.17. 2.Tim.2.12. [e] Ps.119.71. [f] 2.Cor.1.9. [g] Rom.5.4. [h] 2.Cor.1.10 Rom.5.4. [i] Ps.119.71. [k] 1.Cor.11. 32. [l] Mat.5.10. 1.Pet.3.14.

Vera

XV.

Vera autem tolerantia sive patientia [a] non est ἀναισθησία aut ἀπάθεια, quæ omnem acerbitatis doloris que sensum tollat: sed in eo se exerit, si homo Christianus quantumvis acriter [b] extimulatus, tamen Dei refrenatur ne in aliquam intemperiem aut murmur [c] erumpat, sed potiùs tristitia & mœrore vulneratus, [d] in spirituali Dei consolatione acquiescat: consideratâ scilicet tum justitiâ & æquitate, atque etiam clementiâ Dei in nobis castigandis, tum verò in primis consilio Dei paterno, quo [e] salutis nostræ curam gerens, ad eum modum illi consulit.

a Iob. 16. 20. & cap. 21. 8
b 2 Cor. 4. 8. 9
c Psal. 39.
d 2. Cor. 6. 10
e Rom. 8. 28. 1. Cor. 11. 32.

XVI.

Jam vitæ futuræ meditatio (quæ altera vitæ Christianæ pars est) sic est comparata, [a] ut vitæ præsentis contemptum ac fastidium secum trahat: quatenus nos Deus tum de vitæ præsentis [b] vanitate assiduis [c] miseriis, & de naturæ nostræ [d] pravitate per quotidianos lapsus edocet, tum vitæ futuræ [e] gaudia & gloriam per Spiritum suum gustandam nobis dat.

a Phil. 1. 23. 2. Cor. 5. 2. Rom. 7. 24.
b Eccle. 1. 1.
c Gen. 47. 9.
d Rom. 7. 24.
e Rom. 14. 17.

XVII.

Nec tamen odio habenda est præsens vita, quum sit ex numero [a] benedictionũ Dei, & ad salutem nostram promovendam destinata sit: partim quatenus suam bonitatem Deus nobis variis beneficiis [b] gustandam dat, partim quatenus per varia certamina ad [c] coronam gloriæ cælestis nos præparat.

a Exod. 20. 12
b Psal. 34. 9.
c 1. Tim. 4. 8.
2. Thes. 1. 6. 7
Act. 14. 22.

XVIII.

Postremò rectus bonorum terrestrium usus (quam tertiam vitæ Christianæ partem constituimus) in eo consistit, primùm ut hoc mundo [a] ita utamur tanquam si non uteremur; utentes fruentes quidem bonis à Deo ad corporis sustentationem atque recreationem [b] concessis, sed [c] temperanter & cum [d] gratiarum actione; deinde ut bonorum terrenorum inopiam ac penuriam [e] patienter ac placidè feramus: tum ut semper cogitemus, [f] reddendam esse Deo rationem dispensationis nostræ: ac proinde ut bonis nobis cõcessis utamur temperanter, modestè, castè,

a 1. Cor. 7. 29. 30. 31.
b Ps. 104. 15.
c Rom. 13. 14
d 1. Tim. 4. 3. 4. 5.
e Phil. 4. 12.
f Luc. 16. 2. Rom. 14. 10. & 12.
2. Cor. 5. 10.

g 1. Pet. 4. 15. & ut proximo egenti liberaliter impertiamur: ac denique
2. Cor. 7. 17. ut g intra vocationis nostræ metas nos contineamus,
a Ephes. 4. 11.

Locus XIII.

De Justificatione.

Aphorismus I.

Quum quæritur de justificatione hominis coram Deo, idem verbo *justificandi* intelligitur quod apud Latinos verbo a *absolvendi*: quatenus illud quidem actionem judicis significat. Justificari igitur coram Deo dicitur, qui & judicio Dei censetur justus, & ob suam justitiam illi acceptus est.

a Prov. 17. 15 Deut. 25. 1. Rom. 8. 33. & 34. & c. 5. 18.

II.

Operibus justificari dicitur is, in cujus vita reperitur ea puritas ac sanctitas, quæ testimonium justitiæ apud Dei thronum mereatur: seu qui operum suorum integritate respondere & satisfacere illius judicio queat.

III.

Fide justificari dicitur is, qui operum justitiâ exclusus, Christi justitiam (id est justitiam morte Christi partam) per fidem apprehendit: qua a vestitus, in Dei conspectu non ut peccator, sed tanquam justus apparet.

a Gal. 3. 27. Apoc. 7. 14.

IV.

Hominem non operibus, sed sola fide coram Deo justificari, cum Apostolo a Paulo asserimus.

a Rom. 3. 28. Gal. 2. 16.

V.

Justificatio & regeneratio sunt quidē res a conjunctæ, sed tamen distinctæ. Nam regeneratio in hac vita tantùm b inchoatur & paulatim augetur, donec in altera vita perficiatur: at justificatio non fit ex parte, sed perfectè: quia c conscientias pacat & tranquillas reddit.

a Rom. 6. 7. & 8. b Rom. 7. c Rom. 5. 1.

VI.

Discrimen hoc justificandi & regenerandi pulchrè exprimitur à Paulo. nam is de inhærente sua justitia seu de integritate, qua per regenerationē donatus erat, loquens, flebi-

flebiliter exclamat, [a] Miser ego, quis me liberabit ex corpore mortis isto! Ad justitiam verò imputativam confugiens, quæ in sola Dei misericordia fundata est, & per justificationem confertur, magnificè [b] gloriatur, & plena fiducia vitæ & morti, probris & inediæ, gladio rebusque omnibus adversis insultat.

[a] Rom. 7. 24.

[b] Rom. 8. 33. 34. 35. &c.

VII.

Quum fide nos justificari dicimus: intelligimus, nos justos à Deo pronuntiari, quatenus [a] obedientia Christi quam is Patri pro nobis præstitit, [b] gustando mortem pro nobis, atque ita [c] pœnam legis à nobis violatæ persolvendo, per fidem nobis ad justitiam [d] imputatur.

[a] Rom. 5. 19.
[b] Heb. 2. 9.
[c] Gal. 2. 13. Esa. 53.
[d] Rom. 4. 3. & deinceps. Gal. 3. 6.

VIII.

Quum solâ fide nos justificari dicimus, non excludimus [a] gratiam misericordiámve Dei justificantis: nec [b] meritum mortis Christi quod nobis ad justitiam imputatur: sed excludimus tantùm nostra [c] opera.

[a] Rom. 3. 24. & cap. 5. 21. Ep. 1. 5. 6. 7. 8.
[b] Rom. 3. 25. & ca. 5. 9. & cap. 8. 33. 34.
[c] Rom. 3. 28. & cap. 11. 6. 32. Gal. 2. 18.

IX.

Et sanè fidei & operum justitia tam vehementer inter se dissident, ut in unum componi non possint; sed altera stante, necessariò altera evertatur. Hinc enim est quòd Paulus justitiam Legis & justitiam fidei, tanquam contrarias inter se opponit: quum scilicet [a] repudiat suam justitiam quæ est ex Lege, & acquiescit in justitia quæ est ex fide Jesu Christi, seu ex Deo per fidem: item quum hanc Judæis [b] ruinæ causam fuisse tradit, quòd suam volentes justitiam stabilire, justitiæ Dei non fuerunt subjecti. Idipsum quoque ostendit, quũ negat per Legem [c] excludi gloriationem nostram, sed per fidem. Item ubi ait: [d] Quum rependitur operibus merces, id fieri ex debito, nõ ex gratia: fidei autem tribui justitiam secundùm gratiam.

[a] Phil. 3. 9.
[b] Rom. 10. 3.
[c] Rom. 3. 27.
[d] Rom. 4. 4. & 5.

X.

Nec verò Paulus à justificatione ea tantùm opera excludit, quæ literaliter tantùm & liberi arbitrii conatu extra Christi gratiam faciunt homines nondum regeniti. Nam certè Abraham regenitus fuit, quum illa opera faceret, propter quæ [a] laudem apud homines obtinuit, apud Deum verò justificatus non fuit.

[a] Rom. 4. 2.

XI.

In ſumma, Scriptura hunc juſtificationis ordinem docet, quòd principiò peccatorem hominem [a] merâ gratuitaq; bonitate dignetur complecti Deus; nihil in ipſo, quo ad miſericordiã moveatur, reputans, niſi miſeriam; quippe quem videt à bonis operibus prorſus [b] nudum ac vacuũ: à [c] ſeipſo cauſam petens, cur illi benefaciat: deinde quòd peccatorem ipſum bonitatis ſuæ [d] ſenſu afficiat; qui de propriis operibus [e] diffiſus, totam ſalutis ſuę ſummam in ipſius [f] miſericordiam in Chriſto patefactam rejiciat.

a Tit. 3. 5. Eph. 1. 5. 6. 7.
b Eph. 2. 1.
c Eph. 1. 9.
d Rom. 5. 5.
e Phil. 3. 8.
f Eph. 1 7.

XII.

Præterea, ſola fide juſtificari hominem: ex aliis quoq; locis Pauli perſpicuum eſt: ut quum contendit, [a] non eſſe ex fide juſtitiam, niſi ſit gratuita: quum juſtitiam operibus Legis [b] adimit: operibus inquam non ſolùm ceremonialibus, ſed & moralibus: ut planum eſt ex his dictis, quæ ad ſententiæ ſuæ probationẽ adducit, nempe: [c] *Qui fecerit hæc homo, vivet in ipſis.* &, [d] *Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut ea faciat.* Item ex iſtis ratiocinationibus: [e] *Quoniam per Legem cognitio peccati, ideo non juſtitia.* [f] *Quia Lex iram operatur, ergo non juſtitiam.*

a Rom. 4. 2. 3. 4.
b Rom. 3. 21. & 28. Gal. 2. 16.
c Gal. 3. 12.
d Ibid. 10.
e Rom. 3. 20.
f Rom. 4. 15.

XIII.

Fatemur quidem cum Paulo, non aliam fidem juſtificare quàm illam [a] charitate efficacem: ſed fidem ab illa charitatis efficacia juſtificandi vim ſumere, aut unà cum charitate juſtificare, negamus.

a Gal. 5 6.

XIV.

Forma juſtificationis eſt ipſa peccatorum [a] remiſſio. Etenim ſicut ira Dei univerſis incumbit, quamdiu peccatores eſſe perſeverant: ſic quos Deus in gratiam recipit, eos dicitur juſtificare, id eſt, ex peccatoribus juſtos facere: id quod fit per peccatorum remiſſionem. Nam ſi ab operibus æſtimentur quos ſibi Deus reconciliavit, reperientur etiamnum revera [b] peccatores: quos tamen peccato ſolutos purosq; eſſe oportet.

a Rom. 4. 6. 7. 8. Luc. 18. 13. & 14. Act. 13. 38. & 39.
b Rom 9. 1. ob. 1. 8.

XV.

Cauſa impulſiva, quæ Deum movet ut nos juſtificet, eſt

est [a] satisfactio & meritum Christi, nempe [b] obedientia illa, quam Patri præstitit in morte pro nobis [c] gustanda: quæ obedientia nobis ad justitiam [d] imputatur, id est nobis accepta fertur, ac si nos eam præstitissemus.

[a] Rom. 3. 24. 25. Eph. 1. 7. 1. Ioh. 2. 1. & 2. [b] Rom. 5. 19. Phil. 2. 8. [c] Heb. 2. 9. [d] Rom. 4. 6.

XVI.

Ut autem hæc Christi obedientia imputari nobis ad justitiam posset: necesse fuit ut priùs perfectam obedientiam præstaret Legi Dei, sanctè secundùm illam vivendo. quod ipsum ut posset præstare, necesse fuit ut inde ab origine & conceptione sui in utero matris esset sanctus & peccati expers. Nisi enim fuisset sanctus [a] sacerdos & sancta [b] victima, non placuisset Deo: ac proinde illum nobis non placasset. Imò etiam ut obedientia illa mortis esset satis pretiosa ad satisfaciendum pro nostris peccatis, atque ita ad æternam justitiam nobis adducendam; oportuit hunc nostrum sacerdotem ac mediatorem esse verum [c] Deum.

[a] Heb. 7. 26. [b] 1. Pet. 1 19. [c] Act. 20. 28 1. Ioh. 1. 7.

XVII.

Hæc doctrina de justificatione nostri gratuita, tum demũ grata & accepta nobis erit, quum se quisque reum sisset coram cælesti judice, & de sua absolutione sollicitus ultrò se prosternet ac exinaniet, considerată nimirum justitiæ divinæ [a] perfectione, suæq; justitiæ [b] imperfectione, imò suorum peccatorum [c] multitudine & gravitate. Sic enim demum serio miseriæ inopięq; nostræ sensu cõsternati atque humiliati, ad Christi gratiam recipiendam rectè præparati fuerimus. Contrà, qui vel propriæ justitiæ opinione [d] turgent, vel vitiorum dulcedine inebriati, judicium Dei securè contemnunt, illi misericordiæ Dei aditum præcludunt.

[a] Esa 33. 14. [b] Iob. 4 17. 18. 19 [c] Psal. 19 13 Iob. 15. 16. [d] Luc. 18. 11. 12. 13. 14.

XVIII.

Porrò nisi justificatio statuatur gratuita: nec Deo illibata constabit sua [a] gloria, nec conscientiis nostris coram ipsius judicio placida quies ac serena [b] tranquillitas: quod tamen utrumq; fieri operæ pretium est.

[a] Rom. 3. 19. & 25. 1. Cor. 1 30. & 31. Eph. 1. 12. & 14. & cap. 2. v. 8. 9.

XIX.

Observandum præterea illud quoque est, non solùm initium justificationis, sed & progressum merè gratuitum

[b] Rom. 5. 1. & cap. 8. 35. Eph. 3. 12.

esse. Quod ut meliùs intelligatur, quatuor hominum ordines considerandi sunt. Primus ordo est eorum, qui nec externè nec internè vocati sunt: secundus ordo est contemptorum, quos vulgò Epicureos nominant, qui externè quidem vocati sunt, at non internè: tertius ordo est hypocritarum, qui justitiæ gloriam ex larva operum externorum & maximè ceremoniarum ad cultum Dei pertinentium affectant: qui & ipsi externè, sed non internè vocati sunt. quartus denique ordo est eorum, qui & externè & internè vocati sunt, hoc est, qui spiritu Dei per Euangelium sunt regenerati: quales nulli sunt ex tribus superioribus ordinibus.

XX.

In primo illo hominum ordine nihil esse justitiæ, sed meram injustitiam, atque adeò impotentiam justè vivendi & promissioni gratię credendi, Scriptura passim docet: ut dum universos filios Adæ hisce verbis describit: quòd [a] pravo sint & præfracto corde, quòd omne [b] figmentum cordis eorum malum sit à primis annis, quòd [c] vanæ sint eorum cogitationes, quòd [d] timorem Dei præ oculis non habeant, quòd nemo eorum [e] intelligat aut requirat Deũ. Item quòd dum nos Deus cognitione sui illuminat, à [f] morte suscitet, ac [g] novam creaturam faciat: quòd simus capitales ac professi [h] inimici Dei, donec justificati in amicitiam recipimur: quòd [i] non priores eum dilexerimus: quòd ab immunditiis nostris non purgemur & abluamur Christi sanguine, nisi dum purgationem illam [k] Spiritus in nobis efficit: quòd tum demum incipiamus à morte in vitam transire, ubi propter Christum nobis [l] datum est in eum credere.

a Ierem. 17. 9
b Gen. 6. 5. & cap. 8. 21.
c Psal. 94. 11
d Psal. 36. 1.
e Psal. 14. 2.
f Ioh. 5. 25.
g Eph. 2. 10.
h Rom. 5. 6. 7. 8.
i 1. Ioh. 4. 10.
k 1. Cor. 6. 11.
l Phil. 1. 29.

XXI.

Jam secundum quoque & tertium ordinem nihil justitiæ habere quo coram Deo consistat, ex eo patet, quòd conscientiæ impuritas utrosque nondum esse Dei spiritu regeneratos arguit: quod ipsum defectum prodit fidei. Unde liquet, Deo nondum reconciliatos, nondum in eius conspectu iustificatos: quando ad hæc bona nisi per fidem non pervenitur.

Sanè

XXII.

Sanè hypocritæ nonnullâ sibi iustitiam arrogant propter speciosa illa opera ceremoniarum quas obeunt: sed tantũ abest ut propterea Deo placeant, ut is potiùs gravissimè offendatur, quòd cultum suum impuritate cordis sui [a] contaminant. Neq; enim personæ apud Deum gratia conciliatur per opera: sed è converso tum demũ placent opera, ubi persona gratiam priùs in Dei conspectu invenerit. Hinc enim est, quod Moses scribit, Jehovam [b] respexisse ad Abelem & ad munus eius, quibus verbis docet oblationem Abelis placuisse Deo propterea, quòd ipsa Abelis persona ei placuerit: placuit autẽ illa per fidẽ: quippe [c] sine qua Deo placere impossibile est, quum per eam corda hominum [d] purificentur. Unde & Paulus ad Hebræos ait, [e] Abelem per fidem præstantius sacrificium obtulisse DEO quàm Cainum: quippe qui erat hypocrita, ac proinde fide vacuus.

a Hag. 2. 12. 13. 14. 15. Esa. 1. 11. 12. 13. 14. 15. Prov. 15. 8.
b Gen. 4. 4.
c Heb. 11. 6.
d Act. 15. 9.
e Heb. 11. 4.

XXIII.

Postremò ad quartum ordinem quod attinet: etsi homines spiritu Dei regenerati aliquam [a] operum iustitiam habent: ea tamẽ talis ac tanta non est, qua consistant coram iudicio Dei: tum quia bona ipsorum opera [b] imperfecta sunt, tum quia peccato [c] contaminata, tum quia prior iustitia per sequentia peccata [d] deletur.

a 1. Cor. 4. 4.
b Rom. 7. 14. &c. Phil. 3. 13. 14.
c Esa. 64. 6.
d Eze. 18. 24.

XXIV.

Hinc jam patet, non solùm principium iustificationis merè gratuitum esse: ita ut peccator gratuitò à damnatione liberatus iustitiam obtineat, idq; per remissionem peccatorum; sicut in commemoratis tribus primis hominum ordinibus clarè perspicitur: verùm etiam eandem esse rationem progressus, ita ut iustificatio illa gratuita sit perpetua: id quod in quarto illo hominum genere, qui & Spiritu Dei regenerati & fide justificati iam sunt, apparet. Et sic Deus Abrahamo patri credentium fidem in iustitiam imputavit, [a] quũ is multis iam annis vitæ sanctitate excelluisset. Item quum Habacuc dicit, [b] *Justus ex fide vivet*, & David, [c] *Beati, quorum remissa sunt iniquitates*: de piis loquuntur. Prætereà Paulus [d] legationem illam de

a Gen. 15. 6.
b Habac. 2. 4.
c Psal. 32. 1.
d 2. Cor. 5. 20.

gratuita cum Deo reconciliatione perpetuam apud fideles esse restatur. Denique Christus [c] perpetuò manet mediator, qui patrè nobis reconciliet: ac perpetua est mortis ejus efficacia ad peccata fidelium [f] expiandum.

[c] 1. Ioh. 2. 1.

[f] Ibid. 2.

XXV.

Quòd autem dicunt Scholastici, non esse quidem tanti intrinseca dignitate bona opera, ut ad justitiam comparandam sufficiant; sed hoc acceptantis esse gratiæ, quòd tantum valent: sciendum est, gratiam acceptantem nullam aliam esse quàm qua Deus nos complectitur in Christo, imputando nobis justitiam propter satisfactionem illius.

XXVI.

Etenim opera nostra à Deo non acceptantur, nisi quatenus justitiâ Christi (hoc est per mortem Christi partâ) per fidem induti, Deo placemus: ut [a] suprà demonstravimus. Nec etiam partialis operum justitia in judicio Dei locum habet: quia non alia operum justitia admittitur à Deo, quàm [b] integra Legis observatio.

[a] Aphor. 22.

[b] Deut. 27. 26 Lev. 18. 5.

XXVII.

Jactare verò opera supererogationis, quibus delicta quæ committuntur, compensentur: quomodo convenit cum illo pronunciato Christi, [a] *Si fecerimus omnia: dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*

[a] Luc. 17. 10.

XXVIII.

In summa, duo nobis errores & animi vitia circa opera cavenda sunt: nempe ne quid in iis ponamus fiduciæ néve quid gloriæ illis adscribamus.

XXIX.

Fiduciâ qualibet nos depellunt Scripturæ, quum docent, justitias omnes nostras [a] fœtere in Dei conspectu, nihilq; quàm irritare Dei ultionem posse. Porrò exactâ fiduciâ, gloriationem quoque omnem facessere est. Quis enim justitiæ laudem assignet operibus, quorum confidentiâ trepidet à Dei conspectu?

[a] Esa. 64. 6.

XXX.

Præterea si omnes salutis nostræ causas considerabimus, in singulis gratiam Dei elucere deprehendemus, exclusâ

exclusâ operum nostrorum justitiâ. Etenim salutis nostræ author est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus. Pater quidem: quatenus ex mera [a] misericordia & gratuita [b] dilectione misit Filium ad nos è potestate diaboli redimendum: Filius verò, quatenus è spontanea nostri [c] dilectione [d] obediens est factus Patri usque ad mortem crucis atque ira pro nobis justitiæ Dei [e] satisfecit: Spiritus sanctus denique quatenus nobis [f] donat fidem, qua justitiam morte Christi partam apprehendimus. Porrò finalem causam testatur Apostolus esse, & divinæ justitiæ [g] demonstrationem, & [h] bonitatis laudem.

a Tit. 3. 5.
b Ioh. 3. 16. 1. Ioh. 4. 9. & 10.
c Rom. 5. 7. 8. 1. Ioh. 3. 16.
d Rom. 5. 19. Phil. 2. 8.
e Rom. 3. 25. 1. Ioh. 2. 2.
f Eph. 2. 8. & cap. 1. 13.
g Rom. 3. 25.
h Eph. 1. 12.

XXXI.

Quòd autem Sancti interdum suam innocentiam & integritatem coram Deo prædicant: id non faciunt in eum finem, ut justitiâ suorum operum nitantur in judicio Dei, & conscientiam inde tanquam fundamento firment: sed ut vel ostendant, se [a] bonam habere causam contra suos adversarios, vel ut se à fructibus vocationis suæ de adoptione gratuita consolentur: quippe qui in unico Dei favore acquiescunt.

a Psal. 7. 9. Psal. 18. 21.
b 2. Reg. 20. 3 2. Tim. 4. 7. 8.

XXXII.

Quòd autem præterea bona fidelium opera Scriptura causas esse ostendit, cur illis Deus benefaciat: sciendum est, eatenus esse causas, quatenus Deus ex prioribus suis gratiis causam sumit secundas addendi: unde intelligitur, non esse causas ut merita, sed tantùm propter seriem seu ordinem antecessionis. quia quos Deus glorificare vult, eos priùs [a] sanctificat: ne scilicet impuritas & malitia glorificationi obstet. In summâ, Deus opera manuum suarum in nobis coronat: ut scitè Augustinus ait.

a Eph. 5. 26. 27.

XXXIII.

Cæterùm bona nostra opera non promereri gratiam Dei, his rationibus liquet. Primùm, quia sunt [a] plena immunditiæ: deinde, quia sunt [b] debita obsequia: tum, quia non sunt nostra, id est à nobis ex vi liberi arbitrii profecta; sed sunt [c] effecta gratiæ Dei in nobis.

a Esa. 64. 6.
b Luc. 17. 10.
c Rom. 8. 10. Eph. 2. 10.

XXXIV.

Quòd autē bona nostra opera Deo placent, & [a] remu-

a 2. Tim. 4. 8.

nerationem percipiunt: non sit, quia ita merentur; sed quia divina [b] benignitas ex gratia illa acceptat, & pretium eis statuit.

b Esa. 55. 1.

XXXV.

Porrò nemo Christianus dubitat, quin fundamentum doctrinæ Christianæ retinendum sit. Fundamentum autem illud est, doctrina, qua docetur, [a] Christum esse nobis datum in justitiam, qua doctrina stante, dogma de justitia nostrorum operum, tanquam illi contrarium, consistere non potest.

a 1. Cor. 1. 30. & cap. 3. 11.

XXXVI.

In primis autem huic fundamento adversantur duo illa dogmata Papistarum: unum, esse bona quædam opera moralia, quibus gratiosi reddantur Deo homines, antequam Christo inserantur: alterum, Christum meruisse nobis primam gratiam, hoc est, occasionem merendi: esse iam nostrarum partium, occasioni oblatæ non deesse.

XXXVII.

Cæterùm fundamento sapienter superædificandum est, nam ea demum salutaris est de bonis operibus doctrina, quæ [a] ex doctrina fidei tanquam effectum ex causa deducitur. Ideo enim fide per Christum iustificamur, ut per studium bonorum operum pro tanto beneficio nos Deo gratos exhibeamus.

a Hac methodus à Paulo servatur in omnibus ferè epistolis: ut ad Roman. ad Gal. ad Eph. ad Phil. ad Col. &c.

LOCUS XIV.

De libertate Christiana,

APHORISMUS I.

QUoniam Christiani seu fideles novi testamenti à Lege [a] liberati sunt: considerandum restat, quousque libertas hęc Christiana se extendat, quibúsve in rebus cõsistat: ne quis ea contra Dei gloriam suamq́, ipsius aut proximi salutem petulanter [b] abutatur.

a Rom. 6. 14.

b Gal. 5. 13.

II.

Christiana libertas in tribus partibus sita est: videlicet in

in liberatione à Legis justificatione, à dominatu peccati, & à Legis ceremoniis.

III.

Prima igitur libertatis Christianæ pars est, quòd conscientiæ fidelium liberatæ sunt à [a] justificatione Legis, hoc est, à necessitate perfectè præstandi Legem ad consequendum justitiam; ac proinde à sollicitudine ac metu maledictionis propter violatam Legem.

[a] Gal. 3. 13. & cap. 5. 1.

IV.

Neque hinc rectè quis colligat, Legem fidelibus supervacaneam esse: quos non ideo [a] docere & exhortari & stimulare ad bonum desinit; tametsi apud Dei tribunal in eorum conscientiis locum non habet.

[a] Rom. 7. 12.

V.

Secunda libertatis Christianæ pars est, quòd Christiani liberati sunt à regno seu [a] dominatu peccati inhabitantis, ita ut non ampliùs abhorreant à Lege, sed eâ delectentur propter inhabitantem in se Spiritum sanctum.

[a] Heb. 8. 34. 36. Rom. 6. 14. & cap. 7. 22. & cap. 8. 2. 1. Joh. 5. 3.

VI.

Hujus libertatis fructus duplex est: unus, fiducia, qua fideles certò confidunt, [a] obsequia sua quamcumvis imperfecta, Deo placere: alter, alacritas in obsequiis Deo præstandis; qui fructus ex priore immediatè oritur. Quæ ambæ res ad rectum Dei cultum perneccessariæ sunt.

[a] Malach. 3. 17.

VII.

Tertia libertatis Christianæ pars est, quòd conscientiæ fidelium liberatæ sunt à [a] ceremoniis Legis; hoc est, à necessitate observandi ceremonias in Lege præceptas: quales sunt, esus certorum ciborum, observatio certorum festorum, & similes. quæ res per se & suâ naturâ [b] ἀδιάφορα id est indifferentes seu mediæ sunt: ita ut ad pietatem nihil interfit per se, sive usurpentur, sive omittantur. Per se, inquam, nam per accidens & propter aliquam circumstantiam interesse potest; ut postea suo loco explicabitur.

[a] Gal. 3. 25. & cap. 5. 13. Eph. 2. 14. 15. Colos. 2. 14. & 16. [b] Rom. 14.

VIII.

Hujus libertatis cognitio fidelibus necessaria est, tum ad conscientiarum tranquillitatem, tum ad cavendum superstitiones.

IX.

Hîc tamen obſervandum, liberum rerum externarum atque indifferentium uſum [a] non eſſe licitum iis qui libertatem hanc nondum intelligunt, nec de ea certò perſuaſi ſunt; ſed ſuperſtitioſa opinione laborant, quæ eis ſcrupulum injicit, quaſi rebus illis uti non liceret.

[a] Rom. 14. v. 14. & 22.

X.

Eſt igitur hujus libertatis finis ac fructus, ut Dei donis abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo utamur, in quem uſum nobis ab ipſo data ſunt: ita tamen, ut hunc uſum [a] ædificatione proximi moderemur.

[a] Rom. 14. 13 15. 19. 20. 21. & cap. 15. 2. 1. Cor. 10. 23.

XI.

Quare quum finis libertatis Chriſtianæ nativus ac genuinus ſit [a] conſcientiarum tranquillitas: conſequens eſt, eos Chriſtiana libertate abuti, qui ea utuntur vel ad [b] explendum libidinem, vel importunè ſeu intempeſtivè cum [c] contemptu fratrum infirmorum.

[a] Rom. 14. 5. [b] 1. Cor. 6. 12. [c] Rom. 14. 3. & 10.

XII.

Etſi enim libertatem noſtram in rebus indifferentibus utendis interdum coram hominibus [a] aſſerere oportet, nempe ad retundendum malitiam perverſorum: tamen [b] infirmorum curam ſumma cautione habere debemus, ne illis ſcandalum detur.

[a] Gal. 2. v. 3. 4. 5. [b] Rom. 14. 1. & 13. & 20. & 21. Act. 16. 3. Rom. 15. 1. 2. 1. Cor. 8. 9. & 13. & 9. 22.

XIII.

Rectus enim libertatis Chriſtianæ uſus eſt, ut infirmorum fratrum ignorantiæ cedat, Phariſæorum verò auſteritati [a] nequaquam.

[a] Gal. 2. v. 3. 4. 5. Mat. 15. 14.

XIV.

Cavenda autem hîc ſimulatio illa, qua nonnulli in abſtinentia libertatis non ſpectant ædificationem proximi, ſed ſuæ tantùm [a] quieti conſulunt.

[a] Gal. 2. 11. & deinceps. [a] Mat. 15. 10 & deinceps. Joh. 6. 51. & deinceps. Act. 5. 28. 29 [b] Rom. 3. 8. Gen. 12. 10. & cap. 26. 7. Exod. 1. 19. Joſ. 2. 4. 5. 6. 1. Sam. 21. 14

XV.

Eſt autem hîc iſta tenenda regula: *In gratiam proximi non eſt offendendus Deus.* Sub hac regula generali continentur duæ ſpeciales: una, *Quæ neceſſaria ſunt factu (nempe quia Deus præcepit) nullius offendiculi vel etiam periculi timore* [a] *omittenda ſunt*: altera, [b] *Nihil tentandum aut agendum, niſi quod Deus permittit.*

Et

XVI.

Est & altera regula generalis, nempe *Charitas (intelligo erga proximum) subsidere debet sub fidei puritate:* ita scilicet, ut si aut contra conscientiam agendum sit, aut proximus offendendus; [a]offendatur potius proximus, quàm ut quicquam agatur contra conscientiam. Quemadmodum enim libertas subest charitati: sic charitas fidei. [a] Luc. 14. 26.

XVII.

Porrò ex hac libertate & illud consequitur, *Conscientias fidelium exemptas esse omnium [a] hominum potestate*; idq; propterea, ne vel Christo pereat gratia suæ liberalitatis: vel conscientiis, liberalitatis illius fructus. [a] 1. Cor. 3. 21. & cap. 7. 23.

XVIII.

Nec verò res levicula existimanda est libertas hæc cõscientiarum, qua fit ut hominibus subjectæ non sint: quippe quæ Christo tanti, nempe proprio [a]sanguine constiterit. [a] Ibid. & 1. Pet. 1. 18. & 19. Gal. 5. 1.

XIX.

Hæc doctrina ut melius intelligatur, observandum est discrimen inter regimen hominis spirituale & politicum: quorum illo conscientia ad pietatem & ad cultum Dei instituitur; isto autem ad humanitatis & civilitatis officia, quæ inter homines servanda sunt, homo eruditur.

XX.

Duo hæc regimina ne inter se confundantur, diligenter cavendum est; ne scilicet ex libertate spirituali libertas politica inferatur.

XXI.

Quin etiam in constitutionibus pertinentibus ad regimen spirituale, diligenter discernendum inter legitimas & illegitimas. Legitimæ autem constitutiones sunt, quæ verbo Dei consentaneæ sunt: illegitimæ contrà.

XXII.

Tametsi autem Paulus [a] præcipit, magistratui obediendum propter conscientiam: non tamen conscientias politicis legibus obstringit: sed hoc tantùm vult dicere, obediendum esse magistratui præcipienti honesta & licita, quia Deus hanc obedientiam nobis præcepit: [a] Rom. 13.

cujus præceptum bonâ conſcientiâ non poſſumus aſpernari. Paulus igitur non ſubjicit conſcientiam legibus humanis, ſed legi divinæ: quatenus illa legibus humanis, quæ cum divinis non pugnant, obedire præcipit.

XXIII.

Hoc intelligi poterit, ſi attendatur quid conſcientia ſit. Eſt autem conſcientia [a] ſenſus judicii divini de factis ſuis, quorũ notitiæ tanquam teſtis adjunctus eſt. id quod ipſum vocis etymon declarat.

a Rom. 2. 15.

XXIV.

Hinc jam intelligitur, conſcientiam propriè reſpicere in Deum: ut conſcientia bona nihil aliud ſit, quàm cordis noſtri teſtimonium [a] coram Deo de ſua (nempe cordis) integritate.

a 1. Pet. 3. 21

XXV.

Interdum quidem ad [a] homines quoque conſcientia bona extenditur; verùm iſtud fit ratione fructuum ſeu effectorum, videlicet officiorum charitatis.

a Act. 24. 16

XXVI.

Ex allata conſcientiæ definitione hoc quoque intelligitur, quæ lex dicatur conſcientiam obſtringere: nempe quæ ſimpliciter hominem ligat, ſine hominum intuitu, ſeu non habitâ eorum ratione.

XXVII.

Porrò lex divina, qua nobis præcipitur ædificatio proximi in rerum mediarum atque indifferentium uſu, etſi [a] opus externum ligat, [b] conſcientiam tamen non ita obſtringit, quaſi aliquis rebus illis bonâ conſcientiâ uti non poſſet, extra ſcilicet illum caſum proximi (nempe fratris infirmi) ædificandi.

a 1. Cor. 10. 28 Rom. 14. 22.
b 1. Cor. 10. 28

Locus XV.

De Scandalo.

Aphorismus I.

SCandalum eſt dictum aut factum, quo proximus offenditur: id eſt, vel tanquam impiè dicto aut facto

[a] contri-

[a] contristatur; vel tanquam rectè dicto aut facto (quum tamen rectè dictum aut factum non sit) ad peccandum [b] inducitur.

a Rom.14.15 Matt.15.12. Ioh.8.61. b 1.Cor.8.10.

II.

Distinguitur scandalum in datum & acceptum.

III.

[a] Datum scandalum dicitur, cujus culpa ab ipsius rei authore profecta est. Seu, scandalum datum, est dictum aut factum impium, quippe repugnans dilectioni Dei & proximi: ac proinde suâ naturâ & per se contristans pios, ac infirmos seducens.

a Mat.18.6. 7.& deinceps

IV.

[a] Acceptum scandalum vocatur, quum res alioqui non improbè nec importunè admissa, malevolentiâ aut sinistrâ quadam animi malignitate in offensionis occasionem rapitur. Seu, acceptum scandalum est dictum aut factum per se non impium, sed cui accidit ut tanquam impium accipiatur: sive id fiat per calumniam, sive per errorem.

a Mat.15.12

V.

Porrò videtur esse & scandalum quoddam [a] mixtum, id est partim datum, partim acceptum: nempe quum quis libertate Christiana utitur intempestivè. Veruntamen hoc scandali genus affine magis videtur dato, quàm accepto. Et hoc appellari potest scandalum infirmorum: sicut alterum, nempe acceptum, nominari potest scandalum Pharisæorum: quippe quo non nisi acerba ingenia & Pharisaica supercilia offenduntur.

a Rom.14.

VI.

Infirmorum scandala [a] cavenda sunt: Pharisæorum, [b] negligenda.

a Rom.14.1. 13.21. 1.Cor.8.13. Mat.18.6.7. b Mat.15.14 Act.5.28.29 Gal.2.3.4.5.

Locus XVI.

De Precatione.

Aphorismus I.

PRecatio, est [a] sancta meditatio rerum pertinentium ad gloriam Dei & salutem nostram: earundéq; seria

a Ioh.4.24

b Luc.18.1. & deinceps. c Heb.10.22. b exoptatio atque petitio, ex filiali c fiducia profecta: cui ferè gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis adjungi à sanctis solet.

II.

a Psal.50.15 b Ibid. c Ibid. Iob.16 24. Mat.7.7.& cap.18.19. Ad precandum movere nos debet non solùm ea quam sentimus, a necessitas: verùm etiam b mandatum Dei, & c promissio exauditionis.

III.

a Mat.4.10. Precari igitur debemus, non solùm ut ea consequamur per quæ beati simus: verùm etiam, ut Deum hoc a cultu honoremus.

IV.

a Psal.50.15 Matt.7.7. Diffidentiæ autem, quæ nos à precando poterat impedire, opponere debemus promissionem Dei, qua testatus est se preces nostras a exauditurum.

V.

a Dan.9.3.4. 5.&c. b Mat.14.23 c.d.e. Luc.18 v.13. e Dan.9. Psal.51. f Rom.10.14 Iacob.1.6. Heb.10.22. Dan.9.17. Psal.51.9. Leges precandi sunt quatuor. a Prima, ut ad precandũ accedamus animo curis alienis b vacuo, & conveniente reverentia majestatis Dei imbuto, nec quicquam petere audente quod ipse non permittit: Secunda, ut precemur ex vero inopiæ nostræ c sensu & cum serio impetrandi affectu: Tertia, ut precaturi, omnẽ propriæ dignitatis opinionem d exuamus, & contrà cum humili atque ingenua peccatorum nostrorum e confessione ad misericordiam Dei confugiamus, veniamq; deprecemur: Postrema, ut precemur ex f fide seu fiducia favoris Dei, certò sperantes preces nostras exauditum iri.

VI.

a Mat.6.9. & deinceps. Precandi formam Dominus ipse nobis a præscripsit: quæ inde Oratio Dominica nominatur. Ea constat proœmio, narratione, confirmatione, & epilogo.

VII.

Proœmium constat his verbis, *Pater noster qui es in cœlis.* Quibus nostram profitemur fidem seu fiduciam filialem erga Deum, ut qui nos ex gratia adoptarit in filio illo dilecto atque unigenito suo, Domino nostro Jesu Christo. Simul etiam ad animos nostros ad Deum elevandos, cõmemoramus sedem majestatis Dei: nempe cælum, ubi se

se beatis angelis fruendum dat, & nobis quoque suo tempore fruendum se daturus est.

VIII.

Narratio sex petitiones continet: quarum tres priores peculiariter destinatæ sunt gloriæ Dei: reliquæ verò tres utilitati nostræ.

IX.

Prima petitione (*Sanctificetur nomen tuum*) idipsum petere jubemur, quod tertio Decalogi præcepto jubemur facere: nempe ut non nisi summâ cum veneratione, de Deo & cogitemus & loquamur; itemq́, de verbo & operibus ipsius.

X.

Secunda petitione (*Adveniat regnum tuum*) petimus partim ut Deus Spiritus sui virtute pravas carnis nostræ cupiditates corrigat, omnesq́; nostros sensus ad imperii sui obsequium formet: partim ut impios imperio suo resistentes coërceat, ecclesias sibi colligat & conservet: hostes verò Ecclesiæ prosternat, & conatus eorũ impediat: partim denique ut nos gloriæ illius ac beatitudinis cælestis sub tempore compotes faciat.

XI.

Tertia petitio est, *Fiat voluntas tua in terra, sicut in cælo.* Hæc petitio superiori exegetice subjecta est, propter nostram ruditatem: tunc enim Deus regnat in mundo, ubi se homines ejus voluntati certo verbo præfactæ subjiciunt. Petimus igitur, ut Spiritus sanctus corda nostra gubernet: quo intus docente, discamus amare quæ Deo placent, & odisse quæ displicent: ac proinde voluntarium & alacre ei obsequiũ præstemus, sicut sancti angeli in cælo.

XII.

Quarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hac petitione commendamus nostra corpora providentiæ Dei: ut ea pascat, foveat, servet. Quam quidem petitionem sequentibus duabus, quibus non terrena & corporalia, sed spiritualia & cælestia bona continentur, præmisit Dominus, consulens tarditati nostræ: ut ita nos gradatim ad majora illa bona petenda eveheret. Jubemur

autem petere panem noſtrum, id eſt quantum nobis donare placuerit cæleſti patri, ad vitam noſtram ſuſtentandum: unde intelligitur, petitionem hanc non minùs divitibus quàm egenis neceſſarium eſſe. Poſtremò particula, *Hodie* vel *Quotidie*, & epitheton *Quotidiani* frenum injiciunt immodicæ rerum fluxarum cupiditati.

XIII.

Quinta petitio eſt, *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Debitorum nomine intelliguntur peccata, eò quòd eorum debemus pœnam: quam quum pro nobis ſuſtinuerit Chriſtus, guſtando pro nobis mortem in cruce, atque ita remiſſionem peccatorum pro nobis impetrarit: petimus ut pater cæleſtis hanc Chriſti ſatisfactionem nobis imputet, & hujus imputationis ſenſum in nobis efficiat, ut in placato ipſius pectore & paterno favore ſuaviter atquieſcamus. Huic petitioni adjicitur argumentum à pari ſeu exemplo ſimili, videlicet exemplo remiſſionis noſtræ qua nos remittimus proximo: cujus exempli ratio non eſt fundata in operis noſtri merito, ſed in promiſſione Chriſti, dicentis: [a] *Nam ſi remiſeritis hominibus lapſus ipſorum, remittet etiam vobis pater veſter cæleſtis; Sin autem non remiſeritis hominibus lapſus ipſorum, nec pater veſter remittet vobis lapſus veſtros.* Ex quibus verbis perſpicitur, non niſi eos certò ſtatuere poſſe, Deum peccata ipſis ſua remiſiſſe, qui conſcii ſibi ſunt, ſe quoque remiſiſſe proximo. Cujus rei ratio eſt, quòd fieri nequit ut proximo quiſquam ex animo remittat, niſi proximum diligat; diligere autem proximum non poteſt, qui non priùs dilexerit Deum; Deum verò non poteſt diligere, qui non certò eſt perſuaſus, illum ex mera gratia propter Chriſtum remiſiſſe ſibi ſua peccata. Et viciſſim qui de hoc certò eſt perſuaſus, is non poteſt non Deum diligere, & proximum propter Deum; ex qua dilectione non poteſt non oriri condonatio injuriarum. Cæterùm iſtud argumentum notatur particulis ὡς καί Matth. 6. verſ. 12. & particulis καὶ γάρ Luc. 11. 4. Quare vulgò non rectè omittunt illud καί, quum dicunt, **Wie wir vnſern**, &c. **pro, Als auch wir**, &c.

[a] Mat. 6. 14. 15.

Sexta

XIV.

Sexta eaq; ultima petitio est, *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*; ubi petimus auxilium Spiritus sancti ad vincendum tentationes diaboli; qui hîc ὁ πονηρὸς nominatur, id est malus ille seu malignus spiritus, qui suis tentationibus (unde & ὁ πειράζων, id est tentator ille dicitur, Matth. 4. v. 3.) nobis πόνον ἔφερε, id est negotium & molestiam facessit.

XV.

Atque hæc de sex petitionibus in narratione comprehensis; iis confirmatio subjicitur his verbis, *Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula.* Quibus verbis significamus, cur tanta sit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi; nempe quòd Deus regnando in nobis glorificari vult; quodq; id quod vult, etiam effectũ dare potest.

XVI.

Epilogus unico verbo continetur, nempe voculâ, *Amen*; quæ hîc optantis est, significans, *Verum esto.* Optamus igitur, ut quicquid sex illis petitionibus à Deo petivimus, id verum sit atque effectum ab illo detur. Quanquam nihil absurdi erit, si statuamus, vocem *Amen* hîc esse asseverantis: quòd fides nostra certa sit, Deum votis nostris assentiri.

XVII.

Quod attinet ad locum, ubi precandum. Deus olim sibi delegerat [a] tabernaculum, & deinde [b] templum Salomonis: sed Christus istam sacri loci ceremoniam [c] sustulit: & Paulus quouis in loco precari [d] jussit. Itaque Christus etiam in conclavi precari [e] præcepit: & ipse quoque solus in montem ad orandum [f] ascendit. Quin etiam publicum communis precationis locum approbat Christus, quum ait: [g] Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio illorum.

a *Exod* 26. & 40.
b 1. *Reg.* 8. 2 *Chron* 7.
c *Act.* 8. 27. *Luc.* 18. 10. *Dan.* 6. 10.
d *Ioh.* 4. 21. 1. *Tim.* 2. 8.
e *Matt.* 6. 6.
f *Mat.* 14. 23.
g *Mat.* 18. 20

XVIII.

Tempus quoque precandi certum in novo Testamento præscriptum non est: veruntamen utile est, ut sibi quisque nostrûm tanquam [a] ordinarias precandi horas constituat: nempe dum manè surgimus, dum ad pastum

a *Dan.* 6. 10. *Psal.* 55. 18. *Act.* 10. 9.

b Psal 50.15 Ioel.2. Ier.6.26. Esa.4.3.& 16 c Exod.15. Jud.5. Psal.9.30.34 & alib.

discumbimus, dum Dei benedictione pasti sumus, dum ad quietem nos recipimus: dummodo hæc horarum observatio superstitione vacet. Inprimis autem precari debemus, quoties aliquâ rerum [b] angustiâ aut ipsi premimur, aut premi fratres videmus; itemq; gratias agere, quoties aliquid singularis beneficii à Deo accepimus.

XIX.

a Eph.3.14. b 1.Cor.11.4. c 1.Tim.2.8. d Ioh.11.41. e Luc.18.11. & 13.

Cæterùm vox, cantus, corporis gestus (ut [a] geniculatio, [b] capitis detectio, [c] manuum atque [d] oculorum versus cælum elevatio) precationem per se non commendant: sed tum demum Deo placent, quum ex [e] vero cordis affectu emanarint.

XX.

a Mat.20.21 Iud 7.19. b 2.Sam.15. 26.

Præterea cavendum, ne Deo certas [a] circumstantias præscribamus: sed quæ petimus, [b] arbitrio ejus permittamus, ut ea faciat, qua ratione, quo tempore, quo loco visum fuerit.

XXI.

a Luc.18.1. &c. Luc.11.8.

Postremò illud quoque observandum, ut in precando [a] perseveremus: nec precum nostrarum exauditionem sensu, sed fide æstimemus. Nam etsi non semper sentimus, Deum id nobis dare quod petivimus: tamen certò statuere debemus, eum dare & daturum quod nobis salutare est.

Locus XVII.

De Prædestinatione.

Aphorismus I.

a Eph.1.4. 2.Tim.1.9. b Rom.9.20. 21.22.& 23.

Prædestinationem vocamus [a] æternum Dei decretũ, quo apud se constitutum habuit, quid de [b] unoquoq; hominum fieri vellet, quod ad æternam ipsorum salutem vel exitium attinet.

II.

Prædestinatio hæc duas species habet: quarum una Electio, altera Reprobatio per metonymiam effecti nominatur.

natur. Nam electio & reprobatio propriè referuntur ad genus humanum jam conditum & lapsum, peccatoq; corruptum; metonymicè verò sic [a] nominatur ipsum eligendi aut reprobandi decretum. [a] Eph. 1. 4.

III.

Affirmamus igitur cum Scriptura, Deum æterno & [a] immutabili consilio semel constituisse, quos olim [b] assumere vellet in salutem, quos contrà exitio [c] adjudicare. [a] 2. Tim. 2. v. 19. Esa. 46. 9. Malach. 3. 6. 1. Thes. 5. 9. [b] Rom. 9. 23. [c] Act. 1. 25. Ioh. 17. 12. 1. Pet. 2. 8. Iude v. 4.

IV.

Hoc consilium in mero Dei [a] beneplacito fundatum esse asserimus. [a] Eph. 1. 5. Rom. 8. 29. Matt. 11. 25. 26. Rom. 9. 18.

V.

Porrò quos prædestinavit Deus ad salutem, eos etiam decrevit participes facere mediorum quibus ad salutem pervenitur: quæ media sunt, [a] reconciliatio ipsorum per Christum, [b] vocatio efficax & [c] justificatio. Contrà quos prædestinavit ad interitum, eos quoque decrevit non facere participes mediorum illorum quę ad salutem perducunt: sed eos sibi [d] relinquere aut etiam [e] diabolo tradere, ut tum hujus, tum pravæ naturæ suæ instinctu interitum sibi accersant. [a] Eph. 1. [b] Rom. 8. [c] Ibid. [a] Psal. 81. 13. [e] Esa. 29. 10. Rom. 11. 8.

VI.

Finis seu scopus prædestinationis, est [a] gloria Dei: nempe tum gloria [b] gratiæ atq; misericordiæ in salute electorum, nec non [c] justitiæ in Filii mediatoris morte ostensæ: tum gloria [d] potentiæ ac [e] justitiæ in damnatione reproborum; & justitiæ quidem tum [f] occultæ illius in ipsis reprobandis, tum etiam [g] manifestæ in eisdem propter peccata puniendis: denique gloria liberrimæ [h] potestatis tum in reproborum interitu, tum in electorum glorificatione. [a] Prov. 16. 4. [b] Eph. 1. 6. & 12. Rom. 9. 23. [c] Rom. 3. 25. 26. [d] Rom. 9. 17. & 22. [e] Rom. 9. 22. [f] Rom. 11. 33. [g] Rom. 1. 18. [h] Rom. 9. 15. 8. 20 21.

VII.

Electionis testimonium infallibile est [a] vocatio efficax, qua Spiritus sanctus [b] per Euangelii prædicationē in cordibus electorum creat fidem in Christum, [c] qua illi justificantur: & simul interitum novæ [d] obedientiæ, qua sanctificantur, ut olim plenè [e] glorificentur. [a] Rom. 8. 30. Tim. 1. 1. [b] Rom. 10. 17 [c] Rom 8. 30. Eph. 1. 7. [d] 2. Tim. 2. 19. [e] Rom. 8. 30

VIII.

Quemadmodum autem vocatione & justificatione & sanctificatione electos suos Dominus [a] signat: ita reprobos vel à notitia sui nominis, vel à Spiritus sui sanctificatione excludendo, quale maneat eos judicium, istis veluti notis aperit.

[a] 2. Tim. 2. 19

IX.

Nec tamen temerè de quoquam statuendum aut pronuntiandum, quòd sit in numero reproborum, si nondum in eo appareant signa electionis. Etenim alii aliis vocantur [a] tardiùs: atque adeò [b] latro ille in cruce sub vitæ finem demum vocatus est. Quare de nemine desperandū, nisi manifesta signa ostendat, quòd peccet ad [c] mortem seu in Spiritum sanctum. Nec verò securè peccandum spe misericordiæ Dei: sed tenendum illud, [d] *Hodie dum vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* quippe [e] *Deus non irridetur.*

[a] Mat. 20. 3. & deinceps.
[b] Luc. 23. 40 & deinceps.
[c] 1. Joh. 5. 16.
[d] Heb. 3. 7.
[e] Gal. 6. 7.

X.

Fructus hujus doctrinæ insignes duo sunt: unus, ut humili adoratione agnoscamus, quàm simus obstricti Deo, qui nos [a] indignos è turba perditorum eligere, & ad gloriam cælestem instaurare dignatus est: alter, ut solidâ [b] fiduciâ in consilium Dei immutabile de salute nostra recumbamus, ac proinde de illa plenè persuasi certiq; simus.

[a] Rom 11. 35
[b] Rom. 8. 31. & deinceps. 2. Tim. 2. 19.

LOCUS XVIII.

De resurrectione carnis, & vita æterna.

APHORISMUS I.

ETsi resurrectio carnis rationi humanæ incredibilis videtur: nos tamen Christiani eam fore credimus; id est, credimus corpora defunctorum priſtinæ integritati restituturum iri, & animabus ipsorum in ea rursum ingressis revicturā atque resurrecturā.

Hæc

II.

Hæc fides nostra nititur [a] testimoniis verbi Dei: qui & omnipotens est, & mentiri nescit. *a Dan. 12. 2. Ioh. 5. 29. &c.*

III.

Resurgentium autem valde dispar erit conditio. Nam pii quidem resurgent ad [a] vitam & gloriam sempiternam: impii verò ad sempiternam [b] mortem & ignominiam. *a Dan. 12. 2. b Ioh. 5. 29.*

IV.

Gloriosa hæc & beata piorum resurrectio, pendet à resurrectione [a] Christi, tanquam capitis: cui ipsos tanquam membra conformari oportet. *a 1. Cor. 15. 12. &c. 1. Thes. 4. 14.*

V.

Christus igitur caput piorum, corpora ipsorum in resurrectione [a] conformia reddet corpori suo glorioso. *a Phil. 3. 21. 1. Cor. 15. 35. & deinceps.*

VI.

Porrò mortuos excitabit Christus in illustri [a] adventu suo ad judicium, voce archangeli & clangore tubæ. *a 1. Thes. 4. 16*

VII.

Mortuis excitatis, mox qui in vivis adhuc fuerint, in momento & jactu oculi [a] immutabuntur, ita nimirum ut corpora ipsorum incorruptibilia reddantur. *a 1. Thes. 4. 16 & 17. 1. Cor. 15. 52. & 53.*

VIII.

Tum statim pii universi [a] in aërem rapientur in occursum Domini: atq; ita in cælum subvecti, [b] perpetuò cum Domino erunt, perpetuaq; cum eo felicitate fruentur. *a 1. Thes. 4. 17 b Ibid. Mat. 25. 34. & 46.*

IX.

Contrà impii unà cum diabolis detrudentur in [a] gehennam, in [b] stagnum perpetuò ardens sulphure & igni, ibiq; in æternum cruciabuntur. *a Mat. 25. 41 & 46. b Apoc. 20. 15. & cap. 21. 8.*

X.

Porrò vita æterna consistit potissimùm in pleno sensu favoris Dei, & communione naturæ illius: secundùm hæc dicta: [a] *Satiabor* (inquit David) *specie tua*. Item, [b] *Satietas lætitiarum apud faciem tuam, jucunditates in dexterâ tuâ semper*. Et Petrus [c] affirmat in hoc vocatos fideles, ut fiant *consortes* (κοινωνοὶ) *divinæ naturæ*, hoc est divinarum virtutum; ut sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, gloriæ. *a Psal. 17. 15. b Psal. 16. 18. c 2. Pet. 1. 4.*

IX.

Etsi autem nemini beatorum quicquam ad perfectam felicitatem deerit; quippe quum Deus [a] omnia in omnibus sit futurus: tamen gloriæ cælestis, qua ornabuntur, quidam erunt [b] gradus: sicuti etiam fuerunt gradus [c] donorum in hac vita: & sicut erunt gradus [d] cruciatuum in damnatis. Præ cæteris autem excellens & maximè illustris erit gloria doctorum verbi, qui Ecclesiam fideliter erudierint, atque ita multos adjustitiam adduxerint: sicuti Daniel [e] testatur.

a 1. Cor. 15. 28.
b 1. Cor. 15. 41. & 42.
c 1. Cor. 12. 4.
d Matth. 11. 20. & deinceps.
e Dan. 12. 3.

X.

Hæc doctrina sicut impiis terrorem meritò incutit: ita piis in omnibus miseriis, atque adeò in ipsa morte, solidam [a] consolationem affert: ut qui norint & per gratiam Dei certò confidant, animam suam per mortem [b] transire in vitam, & ab angelis [c] asportari in sinum Abrahæ (id est, in cœlum) atque ita [d] migrare ad Christum: corpora verò sua quantumvis computruerint & à vermibus exesa fuerint, tamen suo tempore resurrectura & sempiternâ [e] gloriâ indutum iri.

a 1. Thes. 4. ult.
b Ioh. 11. 25.
c Luc. 16. 22.
d Phil. 1. 23.
e Phil. 3. ult. 1. Cor. 15. 43.

LOCUS XIX.

De Ecclesia.

APHORISMUS I.

Ecclesia est [a] multitudo hominum per [b] Euangelii prædicationem [c] efficaciter [d] vocatorum, ac proinde credentium in Christum, & fidem hanc [e] profitentium, atq; ex ea [f] servientium Deo: annumeratis quoque electis horum (imò etiam hypocritarum) [g] liberis: qui per ætatem, vocationis capaces non sunt.

a Mat. 26. 28. Ioh. 17. 20.
b Eph. 2. 13. Rom. 10. 14. 15.
c Rom. 8. 30.
d Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2.
e Rom. 10. 9. 10.
f Rom. 1. 7. 2. Cor. 1. 2. 2. Cor. 2. 2. Eph. 1. 1.
g Act. 2. 39. Gen. 17. 7. 1. Cor. 7. 14.

II.

Ecclesia aut universalis est (quæ vulgò appellatione Græca dicitur Catholica) aut particularis.

III.

Universalis seu Catholica ecclesia, est multitudo universa

versa eorum, qui inde à mundo condito in Christum crediderunt, qui jam credunt, & qui ad finem usque mundi credituri sunt. Hujus pars una in [a] cælo triumphat, nempe fideles defuncti: pars altera in terra militat, nempe fideles adhuc in vivis agentes. Atque hæc rursum in particulares ecclesias distributa est.

a Eph. 1. 10. Col. 1. 20.

IV.

Particularis ecclesia, est cœtus aliquis particularis credentium, [a] uno aliquo in loco cohabitantium, & cultum Dei ex verbi ipsius præscripto exercentium.

a 1. Cor. 1. 2. 2. Cor. 1. 1. Gal. 1. 2. 1. Thes. 1. 1. 2. Thes. 1. 1.

V.

Particularis Ecclesia distingui potest in veterem & novam.

VI.

Veterem appello, quæ fuit ante Christum exhibitum: ubi excellit Ecclesia Israëlitica seu Judaica, quod ad regiminis externi formam attinet.

VII.

Novam Ecclesiam nomino eam, quæ cœpit post Christi exhibitionem, ac inprimis post ascentionem ejus in cælos: quæ colligitur ex [a] variis populis, & [b] Christiana dicitur.

a Eph. 2. 13. b Act. 11. 26.

VIII.

Quum Ecclesia [a] distinguitur in invisibilem & visibilē, non est putandum, duas esse ecclesias, quæ specie inter se differant: sed una eademq; ecclesia, & invisibilis & visibilis diuersâ ratione nominatur.

a Rom. 2. 28. 29. & c. 11. 7.

IX.

Ac invisibilis quidem dicitur, quatenus oculis hominū videri non potest: quum fides, per quam Ecclesia est id quod est, in [a] corde sita sit: quod præter Deum [b] intueri nemo potest.

a Rom. 2. 29. b Act. 1. 24.

X.

Visibilis verò appellatur, quatenus certas habet notas in oculos hominum incurrentes: unde ab hominibus possit agnosci, in tali cœtu esse Ecclesiam: licet ei [a] hypocritæ admixti sint: qui scilicet fidem profitentur, quum tamen non credant.

a 1. Ioh. 2. 19. Mat. 13. 3. & deinceps. item 43. & deinceps.

a Eph.2.20. Act.2.42. b 1.Cor.1.13. 1.Cor.11.20. & 23. Matt.ult.19. & 20. Marc.ult. 15. & 16. c Matt.18.15 16.17. 1.Cor.5.5.

XI.

Notæ illæ sunt, [a] pura verbi Dei prædicatio, & legitima [b] Sacramentorum administratio.

XII.

Nam etsi in Ecclesia Dei, sancta quoque [a] disciplina requiritur: si tamen hîc rectores ecclesiarum in officio cessent, non statim Ecclesia neganda est: dummodo duæ illæ conditiones adsint.

XIII.

Quin etiam poterit vel in [a] doctrinæ, vel in [b] Sacramentorum administratione, vitii quidpiam obrepere: quo tamen Ecclesia esse non desinat: dummodo [c] fundamentum retineatur: quod est Christus, seu salus per unicum Christum.

a 1.Cor.3.12. b 1.Cor.11. 21. c 1.Cor.3.11.

XIV.

Officiunt cujusque pii est, ejusmodi cœtui, ubi notas illas conspicit, sese [a] aggregare ([b] quantum quidem in ipso est) ejusq; membrum sese profiteri, & denique sanctam cum illo communionem colere.

a Heb.10.25. 1.Cor.11.20. b Psal.48.

XV.

Sancta nominatur Ecclesia, partim quòd [a] sanguine Christi mundata, partim quòd per [b] Spiritum sanctum serio studio sanctitatis donata est: quo quidem studio sanctitas ejus indies [c] augetur, donec aliquando plenè perficiatur: id quod fiet [d] post hanc demum vitam.

a 1.Joh.1.7. Eph.5.25.26. b Rom.8.1. Eph.5.26.27. Psal.25. c Eph.4.13. d Phil.3.12. & cap.1.6.

LOCUS XX.

De ministris Ecclesiæ.

APHORISMUS I.

ETsi Deus solus corda electorum suorum illuminat ac regit: tamen quia ei placuit, hanc ad rem [a] ministerio hominum uti: officii nostri est, ea quæ per servos suos nobis annuntiat, [b] reverenter excipere.

a 1.Cor.3.5. 2.Cor.5.20. b 1.Cor.4.1. Gal.4.15.

II.

Servi Dei seu ministri Ecclesiæ, alii perpetui & quasi ordinarii

ordinarii sunt: alii temporarii & quasi extraordinarii.

III

In veteri Testamento perpetui atq; ordinarii fuerunt Patriarchæ, Sacerdotes & Levitæ: temporarii & extraordinarii Prophetæ.

IV.

In novo Testamento perpetui atque ordinarii sunt [a] Doctores & [b] Pastores: temporarii atque extraordinarii fuerunt [c] Apostoli, [d] Prophetæ & [e] Euangelistæ. *a, b, c, d, e. Eph. 4. 11.*

V.

Patriarchis, ut [a] Adamo, [b] Noacho, [c] Abrahamo, [d] Isaaco, [e] Jacobo, [f] Josepho patefecit se Deus per apparitiones & visiones & somnia: perq; illos familias eorum rexit. *a Gen. 3. b Gen. 6. 7. 8. 9. c Gen. 12. 13. 15. 17. 18 21. 22. d Gen. 25. 11. & 22. & cap. 26. 2. 3. 4. 5. e Gen 28. 31. 32. 35. f Gen 37*

VI.

Sacerdotibus & Levitis [a] præscripsit certas leges per Mosen, secundùm quas populum Israëliticum regi voluit. *a In Levit.*

VII.

Prophetas autem [a] extra ordinem excitavit: qui & populum & sacerdotes in officio errantes torpentésve [b] erudirent atque [c] excitarent: ac præterea [d] castigationes populi Dei propter officium neglectum eventuras, nec non pœnas, quibus hostes ipsorum perdendi erant, prænuntiarent: denique (quod præcipuum erat) populum spe venturi Messiæ erigerent: atque consolarentur, ac proinde de illius [f] conceptione [g] nativitate, [h] passione, morte, resurrectione, & [i] regno æterno prophetarent. *a Esa 6. Ierem. 1. Ezech. 2. &c. b Esa. 1 &c. c Esa. 2. d Esa 3 29. &c. e Esa. 13 &c. f Esa. 7. 14. g Esa. 9. 6. Mich. 5. 2. h Esa. 53. i Esa. 11. 59. 61. &c.*

VIII.

Atque hæc de ministris veteris Testamenti. Jam ad ministros novi Testamenti quod attinet: Dominus initio regni sui excitavit [a] Apostolos, [b] Prophetas & [c] Euangelistas: per quos quum Ecclesiæ fundatæ ac plantatæ essent, in locum eorum [d] Doctores & Pastores perpetuò duraturos constituit. *a Mat. 28. 19 b Act 11. 27 c Act. 8. 5. &c. d Eph. 4. 11. a Mat. 4. 18. &c. Ioh. 1. 37. & deinceps.*

IX.

Apostoli [a] immediatè à Christo vocati fuerunt, & missi in [b] orbem universum: ut regnum Dei ubique Euangelii prædicatione constituerent. *Act. 9 & 22. b Mar. 16. 15. Act 9. 15. Rom. 15. 18. 20.*

X.

Præter hos excitavit prophetas, qui ſenſum ſcripturæ
a 1. Cor. 14. 29. &c. b Act. 11. 28. c Act. 21. 10
prophetic æ ex ſingulari [a] revelatione aperiebant, & interdum magni momenti caſus [b] Eccleſiæ aut [c] uni alicui fidelium eventuros prædicebant.

XI.

a Act. 16. 1. b Tit. 1. 5. c 2. Tim. 4. 11 d 2. Tim. 4. 5. e 2. Cor. 8. 23.
Præterea Apoſtoli [a] comites habebant Evangeliſtas, qui ab ipſis aſſumpti vices eorum gerebant in Evangelio prædicando & [b] Eccleſiis conſtituendis: quales fuerunt [c] Lucas, [d] Timotheus, [e] Titus.

XII.

a Rom. 12. 7.
Sequuntur paſtores ac doctores, quibus carere nunquã poteſt Eccleſia: inter quos hoc diſcriminis eſt, quod [a] doctores nec diſciplinæ nec ſacramentorum adminiſtrationi, nec monitionibus aut exhortationibus præſunt, ſed Scripturæ tantùm interpretationi, ut ſincera ſanaque
b Ibid. v. 8.
doctrina inter fideles retineatur: [b] Paſtorale autem munus hæc omnia in ſe continet.

XIII.

Sed hæc hactenus de iis officiis Eccleſiaſticis, quæ in Verbi miniſterio conſiſtunt: præter hæc, alia duo ſunt, ordinaria quidem illa, quæq; in Eccleſia perpetuò manere debent:
a Rom. 12. 8.
[a] gubernatio & cura pauperum.

XIV.

a 1. Cor. 12. 28 b 1. Cor. 5. 2. Cor. 2. 6. 7. 8
[a] Gubernatores ſunt ſeniores è plebe delecti, qui [b] cenſuræ morum & exercendæ diſciplinæ unà cum epiſcopis ſeu paſtoribus præſunt.

XV.

a Act. 6. 3. 1. Tim. 3. 8. &c. b 1. Tim. 5. 9. 10.
Cura pauperum partim ad [a] diaconos pertinet, qui eleemoſynas adminiſtrant: partim ad eos, qui ægrotis ſervitint, quales tempore Pauli erant [b] viduæ quædam.

XVI.

Atque hæc de officiis miniſtrorum Eccleſiæ dicta ſint: jam ad vocationem eorum quod attinet, obſervanda ſunt hæc quatuor: primùm, quales vocandi ſint, deinde qualiter, tum à quibus, poſtremò quo ritu quáve ceremonia ordinandi ſint.

XVII.

XVII.

Quod ad primum attinet: Episcopi seu pastores, itemq; doctores eligendi sunt, qui sint [a] sanæ doctrinæ & [b] sanctæ vitæ & [c] ad docendum idonei. [d] Diaconi & seniores similiter, qui non solùm sanctâ vitâ ornati, sed etiam sapientiâ ad munus suum obeundum necessariâ instructi sint.

a,b,c, 1.Tim. 3.2.&c. Tit.1.6. &c. d 1.Tim. 3.8. &c.

XVIII.

Quod ad secundum: eligendi sunt adhibito religioso timore; quem olim testabantur [a] jejunio & precatione.

a Act.15.23 Act.13.2.3.

XIX.

Quod ad tertium: eligendi sunt à [a] seniorum collegio, non excluso populi consensu.

a Act.2.15. &c. Act.6.2.&c.

XX.

Quod ad quartum: ordinati sunt olim ab Apostolis & Apostolicis viris per [a] manuum impositionem: qui ritus etiam hodiè decòri causâ observandus videtur: dummodo absit necessitatis vel cultus opinio.

a Act. 13.3. 1.Tim.4.14. 2.Tim.1.6. 1.Tim.5.22.

LOCUS XXI.

De Ecclesiæ disciplina.

APHORISMUS I.

DIsciplina Ecclesiæ, est [a] correctio [b] fraterna ex verbo Dei, qua fideles sese mutuò ad officium faciendum adigere student, atque adeò alii aliorũ salutem procurant.

a 2.Tim.3.16 Mat.18.15. 2.Cor.2.6. 2.Thess.3.15. b Mat.18.15 1.Cor.5.11. 2.Thess.3.15.

II.

Hæc disciplina, aut communis est, aut propria. Communis, cui subesse omnes debent: propria, quæ ad solos Ecclesiæ ministros pertinet.

III.

Communis disciplina in peccatis occultis [a] tres gradus observare debet: quorum primus est, ut qui peccavit, admoneatur & corrigatur privatim ab eo, cui soli peccatum istud innotuit: alter, ut si illius correctionem contempserit, iterum moneatur adhibito uno & altero teste: tertius, ut si horum quoque admonitionem contempserit,

a Mat.18.15 16.17.

admoneatur ab Ecclesia, id est [b] presbyterio, quod vicem Ecclesiæ gerit.

[b] 1. Tim. 4. 14. 1. Tim. 5. 17. 1. Cor. 12. 28. Rom. 12. 8.

IV.

Quòd si peccata fuerint publica seu palàm manifesta: tum gradibus istis non est opus, sed peccator [a] statim à presbyterio corrigendus est.

[a] 1. Tim. 5. 20. 1. Cor. 5.

V.

Peccatis levioribus corrigendis [a] objurgatio sufficit: at [b] scelera & flagitia, item [c] contumacia in admonitionibus contemnendis, excommunicatione punienda sunt.

[a] Mat. 18. 15. 1. Tim. 5. 20. [b] 1. Cor. 5. 5. & 13. [c] Mat. 18. 17.

VI.

Est autem Excommunicatio, [a] judicium seu decretum Ecclesiæ, quo aliquis ejusdem Ecclesiæ [c] socius, si [d] scelere aliquo vel [e] contumacia Ecclesiâ offenderit, ex Christi [f] mandato [g] Satanæ traditur, hoc est, [h] efficaciter declaratur sub regno ac potestate Satanæ esse, nihilq; ampliùs ad regnum Christi & Ecclesiam pertinere: ac proinde à communione cœnæ Dominicæ [i] arcetur; [k] donec suam resipiscentiam probabiliter fuerit testatus.

[a] 2. Cor. 2. 6. [c] 1. Cor. 5. 11. [d] Ibid. 1. & 11. [e] Mat. 18. 17. [f] Ibid. 1. Cor. 5. 4. [g] Ibid. 5. [h] Ibid. 4. Mat. 18. 18. Joh. 20. 23. [i] Mat. 18. 17. 1. Cor. 5. 11. & 13. [k] 2. Cor. 2. 6. 7. 8.

VII.

Veruntamen severitas excommunicationis [a] spiritu mansuetudinis temperanda est: ne [b] absorbeatur à tristitia is in quem animadvertitur.

[a] Gal. 6. 1. [b] 2. Cor. 2. 7.

VIII.

Fines, quos Ecclesia in ejusmodi correctionibus & excommunicatione spectat, tres sunt. Primus est, ne cum Dei [a] contumelia inter Christianos nominentur, qui turpem ac flagitiosam vitam agunt. Secundus, ne assidua [b] malorum consuetudine boni [c] corrumpantur. Tertius, ut excommunicati [c] pudore suffusi, [d] resipiscant & salvi fiant.

[a] 1. Cor. 5. 1. Rom. 2. 24. [b] 1. Cor. 5. 6. [c] 2. Thes. 3. 14. [d] 1. Cor. 5. 5.

IX.

Excommunicatus eatenus [a] vitandus est quatenus familiari consuetudine foveretur ipsius contumacia, exceptis officiis necessariis domesticorum. Quum primum autem probabile resipiscentiæ [b] testimonium Ecclesiæ dederit, [b] in communionem recipiendus est.

[a] 2. Thes. 3. 14. 2. Cor. 5. 9 11. [b] 2. Cor. 2. 6. &c.

Atque

X.

Atque hæc de disciplina communi. Disciplina ministrorum Ecclesiæ propria, certis canonibus continetur; quos sibi veteres episcopi suoq; ordini imposuerunt. Quales sunt: Ne quis clericus venationi, ne quis aleæ, ne quis commessationibus vacaret: ne quis exerceret fœnus aut mercaturam: ne quis lasciuis saltationibus interesset; aliique ejus generis.

XI

Locus XXII.

De Votis.

Aphorismus I.

Votum, est sancta promissio Deo facta.

II.

Votum aut generale est, aut speciale.

III.

Generale votum est illud, quod Christiani nuncupant in Baptismo: ubi Satanæ renuntiantes Deo se in [a] seruitutem addicunt, ut sanctis ejus mandatis obediant, non autem obsequantur pravis carnis suæ desideriis. [a] Mat.28.19

IV.

Speciale seu particulare votum est, quod quis [a] peculiari ratione ductus nuncupat. [a] Gen.28.20 et deinc. Iud. 1.30. 1.Sam.1.11.2.Sam.15.8. Act.18.18. Num.16.

V.

In legitimo voto speciali quatuor requiruntur: quorum primum est, ut [a] certi simus, id quod vovemus, [b] consentaneum esse verbo Dei: Secundum, ut attemperatum sit [c] ad nostram facultatem, quam scilicet Deus nobis donavit: Tertium, ut conveniat nostræ vocationi: Quartum, ut votum nuncupemus recto animi proposito, seu objectum finem. [a] Rom.14.23 [b] Act.23.12 [c] 1.Cor.7.7. [d] 1.Cor.7.4

VI.

Recti seu legitimi fines votorum sunt quatuor: quorum duo priores in consideratione temporis præterita, reliqui

duo in consideratione temporis futuri occupantur.

VII.

Primus finis legitimi voti est, ut nostram erga Deum
a Gen.28.20. a gratitudinem testemur pro beneficiis acceptis.

VIII.

Secundus finis legitimi voti est, vt ad iram Dei depre-
a 1.Cor.11.31 candam a ipsi à nobis pœnâ ob admissa delicta exigamus.

IX.

Tertius finis est, quum voto nobis certæ rei usum ad
a 1.Cor.6.12. 2.Cor.9.27. tempus a prætidimus, ut reddamur cautiores.

X.

Quartus finis est, quum voto nos obstringimus, ut eo veluti stimulo ad officium excitemur.

XI.

Vota monastica illegitima & impia esse, quatuor ratio-
a Mat.15.9. nibus liquet. 1. Quia monachatus fingitur esse a cultus Dei. 2. Quia monachatum vovent nullo vocationis Dei intuitu, nullaque ejus approbatione. 3. Quia monachi & moniales se obstringunt ad multos perversos & impios cultus. 4. Quia promittunt Deo virginitatem perpetuam: quum
b Mat.19.11 1.Cor.7.7. tamen vel donum continentiæ non habeant: vel si habent, incerti sint quamdiu sint habituri.

XII.

Votorum hæc vis atque natura est, ut si legitima sint,
a Deut.23.21 Iudic.11. Act.23.21. a obstringant: b sin illegitima, irrita esse debeant.

Locus XXIII.

De Sacramentis.

Aphorismus I.

a Exod.12.26 b Deut 12.32 1.Cor.) 1.23. c Gen.17.10. d Gen. 17.11. Rom.4.11. e Gen.17.7. Ier. 31.33.34 f Heb.9.15.

Sacramenta sunt a ceremoniæ b à Deo mandatæ c populo ipsius, d ad promissionem gratiæ, in e federe Dei comprehensam, illustrandum & obsignandum.

II.

Illustrant Sacramenta promissionem gratiæ, quatenus a sacrificium Christi & efficaciam illius tanquam illustres imagines

imagines repræsentant, & similitudine suâ credentibus quasi [b] ante oculos sistunt. [b] Gal. 3. 1.

III.

Obsignant verò, quatenus divina [a] testimonia sunt, ad idipsum testandum adhibita, quod ipsa promissio testatur: nempe [b] sacrificio Christi partam esse credentibus remissionem peccatorum, gratiam Spiritus sancti, & vitam æternam. [a] Psal. 81. 6. Rom. 4. 1. [b] Mat. 26. 28

IV.

Cæterùm Sacramenta illustrando promissionem fideles de mysterio salutis erudiunt: Obsignando verò, veritatem promissionis persuadent, atque ita fidem confirmant.

V.

Neutrum tamen per se suâve virtute præstant: sed utrumque præstant, quatenus [a] Spiritus sanctus per ipsa operatur: cujus quidem operatio [b] libera est, ut scilicet operetur, ubi vult, quando vult, quantum vult. [a] Eph. 1. 13. 14. & cap. 4. v. 30. [b] Ioh. 3. 8.

VI.

Sacramenta alia sunt veteris testamenti, alia novi.

VII.

Veteris testamenti Sacramenta fuerunt [a] circumcisio, [b] purificationis & [c] sacrificia: ac in his præcipuè [d] pascha. [a] Gen. 17. Lev. 12. [b] Lev. 14. [c] Lev. 1. 3. 4. 6. &c. [d] Exod. 12. 2. Par. 35.

VIII.

Circumcisio illustrabat promissionem gratiæ, sub imagine amputationis. Nam amputatione præputii significabatur, credentium amputata esse peccata, per remissionem seu [a] justificationem: & etiamnum quotidie amputari, per [b] sanctificationem Spiritus. Obsignabat autem gratiæ promissionem circumcisio per applicationē ipsius ad singulos: ita ut fœdus Dei esset in singulorum [c] carne. [a] Rom. 4. 11. [b] Deut. 30. 6. Rom. 2. 29. Colos. 2. 11. [c] Gen. 17. 13.

IX.

Purificationes illustrabant promissionem gratiæ, sub imagine ablutionis. Nam eis significabatur, peccata credentium [a] abluta esse sanguine Christi: & quotidie ablui atque expurgari per Spiritum sanctum. [a] Lev. 14. 7. 8

X.

Sacrificia illustrabant promissionē gratiæ, sub imagine [a] expiationis. Nam eis significabatur, Christum mactatum [a] Lev. 1. 4. & 4. 20 & 16. 27. 30.

iri in [b] victimam expiatoriam, qua expianda erant omnia omnium electorum peccata.

[b] Heb. 9. 26. & 28. & cap. 10. 19. 12. 14.

XI.

Agnus paschalis præter illam generalem victimæ adumbrationem, peculiare aliquid de Christo victimâ præfigurabat: nempe [a] fore ut ossa ejus non frangerentur. Deinde significabat quoque, animas credentium, Christo tanquâ victimâ vescentes, spiritualiter [b] epulari; hoc est, gaudio spirituali frui ex sensu favoris DEI per illam victimâ placati. Adhæc præfigurabat quoque sanctitatem victimæ futuræ: quatenus oportebat esse [c] integrum, hoc est, omnis vitii expertem.

[a] Iob. 19. 36.

[b] 1. Cor. 5. 7. & 8.

[c] Exod. 12. 5.

XII.

Sed præter hanc sacrificii Christi adumbrationem, cujus ratione illa agni edendi cerimonia sacramentum erat: instituta quoque erat ad [a] laudandum Deum pro liberatione ex servitute Ægyptiaca.

[a] Exod. 12. 27.

XIII.

Atque hæc de Sacramentis Testamenti veteris. Sacramenta novi Testamenti duo sunt: Baptismus, & Cœna Dominica.

XIV.

Baptismus (qui [a] successit in locum circumcisionis) promissionem gratiæ illustrat sub imagine [b] ablutionis. Nam sicut aquâ [c] luuntur sordes corporis: sic [d] sanguine Christi in cruce effuso, & cordibus per fidem aspersо, abluuntur sordes animæ, id est peccata. Et Spiritus quoque sanctus peccata credentium quasi abluit & expurgat, sanctificando ipsos ac indies magis magisque renovando. Obsignat verò nobis gratiæ promissionem Baptismus, quatenus cuiusque nostrum corpus ablutum est aquâ illâ quæ sanguinis Christi in cruce effusi sacramentum est.

[a] Col. 2. 11. 12.

[b] Act. 22. 16.

[c] 1. Pet. 3. 21.

[d] 1. Ioh. 1. 7.

XV.

Cœna Dominica (quæ [a] successit in locum agni paschalis) promissionem gratiæ illustrat, partim repræsentando [b] crucifixionem corporis Christi per panis fractionem, itemque [c] effusionem sanguinis ejus per vini è cantharo in poculum infusionem: partim verò declarando efficaciam

[a] Luc. 22. 15. &c.

[b] Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

[c] Luc. 22. 20.

mortis

mortis Christi per [d] lætum epulum: quippe quòd animæ credentium gustando favorem Dei, morte Christi partũ, suavissimè epulentur, & gaudio spirituali perfruantur. Obsignat verò nobis gratiæ promissionem cæna Dominica, quatenus cuique nostrûm edendus datur ille panis, qui corporis Christi pro nobis crucifixi sacramentum est, itẽ quatenus cuiq; nostrûm bibendum datur illud poculum, quod sanguinis Christi in cruce pro nobis effusi sacramentum est. [d] 1. Cor. 5. 8.

XVI.

Sed Cæna Domini non solùm sacramenti verùm etiam sacrificii (nempe eucharistici) rationem habet: sicut & agnus paschalis, in cujus locum subst. tuta est. Nam sicut agnus ille institutus erat ad Deum pro redemptione ex potestate Pharaonis laudandum: sic sacra Cæna instituta est ad [a] laudandum Dominum pro redemptione ex potestate diaboli per mortem ipsius. [a] 1. Cor. 11. 26.

XVII.

Cæterùm sicut Sacramenta respectu Dei signa gratiæ sunt erga populum suum: sic respectu nostri sunt [a] notæ professionis, quibus palàm profitemur, nos in populo Dei censeri cupere, & verum Deum, qui se populo suo tum certo verbo per Prophetas & Apostolos, tum sacramentis his patefecit, solum colere velle. [a] Mat. 23. 15 Act. 2. 41. & cap. 8. 36. 37. 38.

XVIII.

De his Sacramentis omnibus scriptura loqui solet [a] metonymicè, ita nimirum, ut nomina aut proprietates rerum significatarum ipsis signis attribuat: id quod facit partim ad innuendum istorum signorum & rerum significatarum analogiam seu similitudinem, partim verò ad significandum testimonio eorum istorum veritatem & efficaciæ certitudinem: ut credentes non dubitent, res significatas atq; testatas tam certò sibi per operationem Spiritus sancti communicari; quàm certò sentiunt, ipsa signa atque testimonia hæc divina (quæ sacramenta nominantur) sibi per Ecclesiæ ministrum communicari. [a] Gen 17. 10 & 11. Exod. 12. 11. & 27. Act. 22. 16. Matt. 26. 26. & 28. Marc. 14. 22. & 24. Luc. 22. 19. & 20. 1. Cor. 10. 4. 16 1. Cor. 11. 24 & 25.

XIX.

Discrimen inter Sacramenta vetera & nova non est in

a 1 Cor. 10. 3. 4 rebus significatis; hæ enim utrobique [a] eædem sunt: sed partim in significandi modo, partim in significationis claritate. Nam vetera significarunt atque figurarunt Christũ tanquam venturum: at nova eundem significant atque figurant tanquam exhibitum. Deinde nova veteribus clariora sunt, eò quòd rem gestam & clarè per Evangelium prædicatam repræsentant.

XX.

Errant qui res significatas signis ullo modo affigunt.

XXI.

Item qui signis vim tribuunt conferendi gratiam, de qua testantur.

XXII.

Gravissimè verò errant & peccant Pontificii, quatenus Cænam Dominicam in Missam transformant; docentes, per consecrationem (id est, quinque verborũ, HOC EST ENIM CORPUS MEUM, super panem demurmurationem) panem transsubstantiari in corpus Christi: & Christi ita per sacerdotem creati oblatione expiari peccata eorum omnium, pro quibus Missa celebratur, sive adhuc in vivis sint, sive prídé defuncti & in purgatorio constituti.

XXIII.

Postremò peccant etiam gravissimè, dum fictitium illũ Christum, tanquam sub specie panis latentem, adorant.

LOCUS XXIV.

De Baptismo.

APHORISMUS I.

a Mat. 28. 19 BAptismus est primum novi Testamenti seu fœderis sacramentum, quo ex [a] mandato Christi homo Christianus à ministro Ecclesiæ in aquam mergitur, aquáve tingitur, ad repræsentandum seu figurandum effusionem sanguinis Christi in cruce, testandumq; illi remissionem peccatorum sanguine illo partam, itemq; renovationem naturæ per gratiam Spiritus sancti, eodem sanguine electis

ctis impetratam; & denique communionem seu societatem Christi in cæleſti hæreditate: Viciſſimque ille palàm profitetur, ſe populo Dei accenſeri velle.

II.

Quum Baptiſmum ſacramentum eſſe dicimus: quid hoc vocabulo intelligamus, jam ſuperiore capite eſt explicatum.

III.

Novi autem teſtamenti ſeu federis ſacramentum eſſe dicimus Baptiſmum, quia Chriſto jam exhibito eſt inſtitutus: primum quidem apud ſolos Judæos, per miniſterium Johannis Baptiſtæ & ipſius Chriſti: deinde verò apud omnes gentes, per Apoſtolos ac ipſorum ſucceſſores.

IV.

Primum novi Teſtamenti ſacramentum appellamus Baptiſmum reſpectu ſecundi, quod eſt Cæna Domini. Eſt enim Baptiſmus ſacramentum [a] initiationis, quo in Eccleſiæ viſibilis cooptamur ſocietatem, ut inter filios Dei ab illis cenſeamur, & illorum [b] juribus gaudeamus. quo fit, ut nemo qui baptizatus non fuerit, ad ſacram Domini Cænam admittendus ſit. Sicut olim in veteri Teſtamento ſacramentum [c] initiationis erat circúciſio: unde [d] nemo ad eſum paſchæ admittebatur qui circumciſus non eſſet.

a *Act.* 2. 41. *Ioh.* 4. 1.
b *Ibid.* v. 42.
c *Mat.* 23. 15.
d *Exod.* 12. 48

V.

Hominem baptizandum dicimus oportere eſſe [a] Chriſtianum: quo nomine non ſolùm adultos recèns ad fidem Chriſtianam adductos, verùm etiam Chriſtianorum liberos [b] infantes intelligimus. Hinc intelligitur, erroneum ac perverſum eſſe vulgi ſermonem: quum baptiſmum pro infante ſibi nato à paſtore Eccleſiæ petentes, dicunt: Deus dedit mihi ethnicum: peto ut ex eo facias Chriſtianum. Baptiſmus enim Chriſtianum non facit, ſed ſignificat.

a *Mat.* 16. 16 *Act.* 8. 36. 37 38.
Act. 2. 41. *Act.* 16. 14. 15. 31. 32. 33
b *Act.* 16. 33. *Exod.* 12. 48.

VI.

A miniſtro Eccleſiæ dicimus Baptiſmum adminiſtrandum: quia Baptiſmus [a] miniſterii eccleſiaſtici pars eſt, quod [b] nemini licet adminiſtrare niſi qui ad illud legitimè ſunt vocati. Etenim quibus Chriſtus mandavit adminiſtratio-

a *Mat.* 28. 19
b *Heb.* 5. 4.

nem Baptismi, eisdem mandavit quoque prædicationem Verbi: quæ autem Deus conjunxit, illa homini separare
a Mat.19.6. a fas non est. Peccant igitur mulieres, quum baptismum in
fictitio illo casu necessitatis administrant: & quidem bis
d 1.Cor.14.34 peccant: quippe quæ & absque Dei mandato, imò d con-
1.Tim.2.12. tra Dei mandatum baptizant, & rei externæ salutē æternam affingunt; quæ in sola Christi morte & fœdere illo gratiæ quærenda est. Idem judicandum, si quis vir, qui ad ministerium Evangelii vocatus non sit, baptizet.

VII.

Aqua adhibenda est in Baptismo, non autem alius liquor: quia de sola aqua extat Dei mandatum, & exempla fidelium servorum Dei qui primi Baptismum administrarunt: ut Johannis Baptistæ, Christi, Apostolorum & Apostolicorum virorum.

VIII.

Cæterùm mergatúrne totus qui tingitur, idque ter an semel; an infusa tantùm aqua aspergatur aut perfundatur: id prò regionum diversitate ecclesiis liberum esse debet.
e Ioh.3.23. Etsi enim mergendi ritum e veteri ecclesiæ observatum
Mat.3.16. fuisse constat tamen verbum βαπτίζειν non solùm mergi,
Act.8.38.39 sed etiam quavis alia ratione tingi significat.
Rom.6.4.

IX.

Porrò in hunc finem nobis à Deo datus est Baptismus: primùm ut fidei nostræ apud se, deinde ut confessioni apud homines serviret.

X.

Fidei nostræ tria affert Baptismus, hoc est, de tribus rebus testatur, quas nos fide percipimus. Primùm enim
a Act.2.37. & cap.22.16. est ei documentum ac symbolum a remissionis peccatorū,
b Rom.6.4. deinde b renovationis naturæ per Spiritum sanctum, po-
Tit.3.5. strèmò c unionis atque societatis cum Christo.
c Gal.3.28.

XI.

De remissione peccatorum docet, eandemque ut divinum sigillum obsignat Baptismus sub imagine a purgatio-
a Act.22.16. Eph.5.26. nis seu ablutionis. Quemadmodum enim aqua purgantur
Tit.3.5. atque abluuntur sordes corporis: ita b sanguine Christi in
b Ioh.1.7. cruce effuso purgantur sordes animæ omnium illorum,

qui

qui sanguinem illum pro se effusum credunt.

XII.

Atque hoc Baptismi testimonium ad totam hominis vitam, adeoque ad singula ejus peccata extenditur: Nam sanguis Christi, de quo Baptismus testatur, purgat nos ab [a] omni peccato. Itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, & hac armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit. [a] 1. Ioh. 1. 7.

XIII.

Neque hinc tamen peccandi in futurum licentia captanda est: quoniam hæc doctrina non nisi ad consolationem afflictarum conscientiarum traditur: & Baptismus nō minus de peccati in nobis [a] mortificatione, quàm de peccatorum nostrorū omnium remissione nos admonet certioresque facit. [a] Rom. 6. 4.

XIV.

Secundus igitur Baptismi fructus est [a] renovatio nostræ naturæ. hanc enim Christus se in nobis per Spiritum suum effecturum testatur, atque etiam efficit: illamque ipsam Spiritus sancti gratiā nobis morte sua à Patre impetravit. [a] Tit. 3. 5.

XV.

Ubi observandum, hanc naturæ nostræ renovationem in hac vita esse [a] imperfectam: veruntamen tantam, ut peccatum in nobis habitans [b] non dominetur seu regnet, sed per gratiā Spiritus sancti indies magis ac magis mortificetur. [a] Rom. 7. [b] Rom. 6. 14.

XVI.

Tertia Baptismi vtilitas est, unio atque societas cum Christo: ut sciamus nos Christo tanquam membra capiti [a] unitos atque consociatos esse, ac proinde hæreditatis illius cælestis unà cum ipso participes fore. Ideo enim Baptismum in [b] corpore suo sanctificavit Christus, ut communem eum nobiscum haberet, ceu firmissimum unionis ac societatis, quam nobiscum inire dignatus est, vinculum. Et Paulus nos esse filios Dei ex eo probat, quia Christum in Baptismo [c] induimus: hoc est, quia testimonio Baptismi cum Christo filio Dei unigenito conjuncti sumus. [a] 1. Cor. 11. 13 [b] Mat. 3. 16. [c] Gal. 3. 27.

XVII.

Atq; hi tres fines Baptismi ad confirmationem nostræ fidei adeoq; consolationem nostram pertinent: jam verò confessioni nostræ apud homines sic servit Baptismus: quatenus nota est, qua palàm[a] profitemur, nos populo Dei accenseri velle; dum scilicet testamur, nos in unius Dei cultum seu in unam religionem cum Christianis omnibus consentire, quæ nostra confessio ad gloriam Dei pertinet. Atque hunc sensum habet, quòd Christus jussit baptizare[b] in nomen (εἰς τὸ ὄνομα) Patris, Filii & Spiritus sancti: id est, ut per baptismum obligentur homines ad cultum veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. In quem sensum istam phrasin intelligendam esse, percipitur ex verbis Pauli 1. Cor. 1. v. 12. 13. 14. & 15.

a *Ioh.* 4. 1. *Act.* 2. 41.

b *Matth.* 28. 19.

XVIII.

Ex his quæ dicta sunt, intelligitur, eos demum rectè accipere Baptismum eoque rectè uti, qui eum referunt ad eos fines ad quos à Christo est institutus: ut scilicet in uno Christo quærant & fide accipiant remissionem peccatorum, renovationem suæ naturæ, & hæreditatem cælestem: Baptismum autem accipiant tanquam divinum illorum beneficiorum testimonium.

XIX.

Abutuntur igitur Baptismo, qui in externo illo opere remissionem peccatorum quærunt: quasi vis abluendi peccata in ipso elemento aquæ, aut certè in sanguine Christi tanquam illic latente inclusa esset.

LOCUS XV.

De Pædobaptismo.

APHORISMUS I.

QUoniam Anabaptistæ baptismum infantium oppugnant, tanquam cum Christi institutione minimè cõgrueret: operæpretium est rationes ex Verbo Dei cognocere, quibus Pædobaptismus asseritur: ac deinde ostendere

dere quàm futiles sint rationes Anabaptistarum, quas illi in contrarium afferunt.

II.

Igitur infantes Christianorum baptizandos esse, quatuor potissimùm rationibus ex Verbo Dei depromptis ostendi potest: quarum prima ab exemplo circumcisionis petitur: cujus cum Baptismo [a] parem rationem eandemque significationem fuisse cõstat. Nam sicut per circumcisionem Deus populo Israëlitico testatus est [b] remissionẽ peccatorum & [c] regenerationem: sic per Baptismum testatur hæc ipsa Christianis. Quum igitur infantes Israëlitarum ex [d] mandato Dei sint circumcisi: consequens est, infantes quoque Christianorum baptizandos esse.

a Col.2.11.12
b Rom. 4.11.
c Deut. 30.6. Rom.2.29. Coloss.2.11.
d Gen.17.12. Levit.12.3.

III.

Etsi enim tale mandatum de pædobaptismo non extat: tamen voluntas Dei in hac re ex ipsâ Baptismi natura ac fine satis intelligitur: præsertim quum Baptismus in [a] locum circumcisionis institutus sit. Atqui olim profitentibus religionem Judaicam mandatum fuit, ut non solùm ipsi circumciderẽtur, sed etiam [b] omnis mas ad eos pertinens. Quare similiter qui profitẽtur religionem Christianam, tenentur infantes suos offerre baptizandos.

a Col.2.11.12
b Exod 12.48

IV.

Deinde infantes Christianorum participes sunt rei per Baptismum significatę, videlicet remissionis peccatorum, & regenerationis seu renovationis naturæ: siquidem [a] federe Dei, ubi illa promittuntur, comprehensi sunt. Qua igitur ratione signum federis illis denegabitur?

a Gen.17.7. Act.2.39. 1 Cor.7.14.

V.

Quòd si non licet infantes nostros baptizari: Christi adventu factum fuerit, ut obscurior & minùs testata sit nobis Dei gratia, quàm olim erat Judæis. quippe fideles Judæi testimonio circumcisionis confirmati fuerint de infantium suorum salute. quare absurdum esset, fideles Christianos non similiter de suorum infantium salute testimonio baptismi confirmari.

VI.

Denique infantes Christianorum debent [a] offerri Chri-

a Mat.19.14.

sto, tanquam habentes cum eo communionem in regno cælorum: ergo etiam debet eis communicari Baptismus, tanquam signum istius cum Christo communionis & juris in regno cælorum.

VII.

Nam quòd Anabaptistæ negant, pædobaptismum in usu fuisse tempore Apostolorum: sciendum est, veteres scriptores ecclesiasticos contrarium testari, quin ex Actis quoque Apostolorum, quæ vir Apostolicus Lucas, rerum à se in illo libro descriptarum bona ex parte ἀυτόπτης ecclesiæ Christi reliquit, idipsum colligitur: ubi recitat[a] verba Petri, præcipientis conversis sua concione Judæis, ut baptizentur in remissionem peccatorum, & accepturos donum Spiritus sancti: quippe quòd non solùm ipsis, sed etiam liberis ipsorum hæc promissio facta sit. ubi liberorũ vocabulo infantes quoque contineri, nulla firma ratione negari potest. Deinde idem Lucas narrat, à Paulo & Sila (in quorum comitatu etiam ipse erat) baptizatam esse [b] Lydiam & domum ejus, item [c] commentariensem illum & omnes illius.

[a] Act. 2.38. 39.
[b] Act. 16.15.
[c] Ibid. v. 33.

VIII.

Deinde, quòd dicunt, infantes Baptismi propterea capaces non esse, quòd non sint capaces pœnitentiæ ac fidei: pari ratione concludendum esset, infantes Israelitarum non fuisse capaces circumcisionis. At satis est, eos in futuram pœnitentiam & fidem baptizari: sicut infantes Israelitarum in futuram pœnitentiam & fidem circumcidebantur.

IX.

Tertiò quòd objiciunt, Baptismum dari in remissionem peccatorum; infantes autem non peccasse: falsum assumunt. Nam etsi infantes non peccarunt [a] ad similitudinẽ transgressionis Adæ, actu scilicet in propria persona: tamen [b] peccarunt in illo, seu in lumbis illius: quippe quum in illo sint [c] mortui, & quotidie non minùs [d] moriantur quàm adulti.

[a] Rom. 5.14.
[b] Ibid. v. 12
[c] 1. Cor. 15.22
[d] Rom. 5.14. & 6.21.

X.

Quartò, quòd dicunt, Ecclesiam à Christo [a] mandatam esse

[a] Eph. 5.26.

esse lavacro aquæ; infantes autem mundatione hac opus non habere, quum non sint immundi: rursus falsum assumunt. Fatetur enim [b] David, se in peccato conceptū esse. & quum infantes Christianorum [c] membra Ecclesiæ sint: consequens est, ipsos quoque sanguine Christi mundatos esse: ac proinde hujus mundationis signum eis dandum est nempe Baptismus.

b Psal.51.7.
c 1.Cor.7.14.

XI.

Quintò & postremò, quòd dicunt, tempore Apostolorum neminem ad Baptismum admissum comperiri nisi fidem antè pœnitentiamque professus esset: id verum est de [a] adultis: at infantes quoque adultorum, qui fidem & pœnitentiam profitebantur ac proinde baptizabantur, baptizatos tunc fuisse, suprâ aphorismo septimo planum fecimus.

a Act.2.41. Act.8.12. Ibid.v.37.38

Locus XXVI.

De Cæna Domini.

Aphorismus I.

Cæna Domini est alterum [a] novi Testamenti seu fœderis sacramentum, quo ex Christi mandato per panis [b] fractionem & vini in poculum infusionem figuratur, repræsentatur & oculis fidelium quasi subjicitur crucifixio corporis Christi & effusio sanguinis ipsius: ac tum per eorundem elementorum præbitionem, acceptionem, comestionem ac potionem obsignatur credentibus [c] promissio remissionis peccatorū & [d] vitæ æternæ, crucifixione corporis Christi & effusione sanguinis ipsius, & (ut uno verbo dicam) morte Christi partæ, atque adeò [e] communionis ipsorum cum Christo tanquam membrorum cum capite: quo fit ut fideles in paterno favore Dei, ipsis per mortem Filii conciliato, suaviter acquiescant; atque ita spiritualiter [f] epulentur, & in communione cum Christo magis magisque augeantur.

a Mat.26.28. Marc.14.24. Luc.22.20. 1 Cor.11.25.
b Mat.26.26 Marc.14.22. Luc.22.19. 1.Cor.11.24.
c Mat.26.28.
d Ioh.6.51.53 54.58.
e 1.Cor.10.16 17.& cap.12. v.13.
f 1.Cor.3.7.8.

II.

Sacram cænam esse sacramentum novi fœderis, liquet ex verbis institutionis, quæ Dominus de poculo pronun-

clavit, inquiens: *Hoc poculum est novum fœdus in meo sanguine*, &c. id est, sacramentum novi fœderis.

III.

Alterum novi Testamenti sacramentum Cœnam Dominivocamus respectu primi, nempe Baptismi, sicut enim in veteri Testamento duo erant præcipua sacramenta, Circumcisio & Pascha: sic in novo quoque duo sunt, Baptismus & Cœna Domini: quæ illis è regione respondent. Et sicut nemo fuit [a] admissus ad pascha, nisi circumcisus: ita nemo admittendus ad sacram Cœnam, nisi baptizatus.

[a] *Exod.* 12.48

IV.

Mandatum Christi in Institutione continetur in his verbis: *Accipite, edite*: item, *Accipite, bibite*: item, *Hoc facite in mei recordationem.*

V.

Panem & vinum ad hanc cœnam à Domino adhibita esse, clarè liquet ex Institutione.

VI.

Fractio panis in sacra Domini cœna non solùm ipsius Domini [a] exemplo, sed etiam [b] mandato utitur. Neque enim solùm Dominus panem fregit: illâque fractione in symbolum sui corporis consecravit: sed etiam fractione consecratum panem tanquam symbolum corporis sui fracti, id est, crucifixi, edere jussit. Et Apostolus [c] ait, se à Domino accepisse quod de sacra hac cœna administrãda Corinthiis tradiderat: tradiderat autem illis etiam [d] fractionem panis. Denique fractio panis, essentialis cæremonia est in sacra Domini cœna: quippe quæ ad illius finem seu scopum pertinet, nempe ad repræsentandum [e] crucifixionem corporis Christi. Eadem est ratio fusionis vini cum fusione sanguinis Christi comparatæ.

[a] *Mat.* 26.26. *Marc.* 14.22. *Luc.* 22.19. 1. *Cor.* 11.24.
[b] *Ibidem.*
[c] 1. *Cor.* 11.23
[d] 1. *Cor.* 10.16
[e] 1. *Cor.* 11.24

VII.

Per fractionem panis & fusionem vini similiter repræsentatur crucifixio Christi, ut per [a] prædicationem Evangelii.

[a] *Gal.* 3.1.

VIII.

Præcipuæ hujus sacramenti partes sunt, promissionem illam Christi, qua carnem suam verè [a] cibum testatur, &

[a] *Joh.* 6.55.

sanguinem

sanguinem suum potum, quibus in vitam æternam pascimur: quase [b] panem vitæ affirmat, de quo qui manducaverit, vivit in æternum. illam (inquam) promissionem obsignare: & quò id efficiat, ad Christi crucem mittere, ubi ea promissio verè præstita & numeris omnibus impleta fuit. Etenim caro Christi facta est nobis panis vitæ seu cibus vivificus, quatenus pro nobis [c] crucifixa est.

[b] Ibid. v. 51.
[c] Ibidem.

IX.

Hunc verò cibum non nisi [a] fide edimus: & hunc potum non nisi [b] fide bibimus.

[a] Ioh. 6. 35.
[b] Ibidem.

X.

Porrò fide edere carnem Christi, & fide bibere sanguinem Christi, est credere promissioni divinæ, quæ testatur carnem Christi pro nobis esse crucifixam, & sanguinem Christi pro nobis esse effusum, in remissionem scilicet peccatorum.

XI.

Fructus hujusce spiritualis comestionis ac potionis est [a] lætitia in Deo, & augmentum [b] communionis cũ Christo, à fidei confirmatione dependens.

[a] Ioh. 6. 57. 1. Cor. 5. 8.
[b] 1. Cor 10. 17.

XII.

Porrò corpus Christi non manducari ore, nec in pane sacræ Cænę contineri, ex eo planum est, quòd oportet ipsum contineri [a] cælo usque ad diem judicii. Nec verò corpus Christi ubique est, ut in cælo simul & pane Cænę Dominicæ contineatur: quia finitum est pro perpetua corporis humani ratione: quippe quum Christus nobis factus sit similis per [b] omnia, solo [c] peccato excepto.

[a] Act. 3. 21.
[b] Heb. 2. 17.
[c] Heb. 4. 15.

XIII.

Præterea si corpus Christi esset sub pane & sanguis sub vino: alterum ab altero divelleretur, atque ita Christus necessariò moreretur. At Christus [a] non amplius moritur.

[a] Rom. 6. 9.

XIV.

Jam verò panem sacræ cænæ non transsubstantiari in corpus Christi, sed substantiam panis post verborum, quæ consecrationis vocant, recitationem manere, ex eo constat, quòd Christus per hunc panem tanquam rem simile voluit docere, carnem suam esse [a] cibum spiritualem. Ergo

[a] Ioh. 6. 55.

nec esse est verum esse panem: ut certò possimus concludere, animas nostras tam verè ali corpore Christi pro nobis crucifixo, quàm verè aluntur nostra corpora illo pane nobis fracto. Item Christus jussit fideles omnes edere de
b 1.Cor.10.17 b vno pane; ut moneret, ipsos omnes esse veluti c unum
c Ibidem. panem seu unum corpus: Oportet igitur esse verum panē, ut constet similitudo: nempe, quemadmodum ex compluribus granis in farinam cōtusis pinsitur unus panis, ita ex compluribus fidelibus per charitatem coalescit una ecclesia.

XV.

Et quemadmodum nec aqua Baptismi, nec ea quæ è
a Num.20. 10.11. a rupe baculo Mosis percussâ profluxit, in sanguinē Christi mutatur aut mutata fuit: cujus tamen sacramentum utraque est ac fuit: sic etiam vinum sacræ cænæ non mutatur in sanguinem Christi, cujus tamen sacramentum est.

XVI.

Nec verò à verbis Christi recedimus, dum verum ac genuinum ipsorum sensum retinemus.

XVII.

Genuinus autem verborum Christi sensus à metonymia dependet; qua nomen rei significatæ, nempe corporis; tribuitur signo, nempe pani. Eadem poculi & sanguinis ratio est.

XVIII.

Metonymicus hic sermo passim in Scriptura usitatus est, ubi de Sacramentis agitur. Neque enim aliter accipere possis, quod dicitur, circumcisionem esse a fedus Dei,
a Gen.17.10. b Exod.12.11 & 27. c Levit.6.30. &c. d 1.Cor.10.4. agnum paschalem esse b transitum illum Jehovæ in Ægypto, sacrificia Legis esse c expiationes, denique petram, ex qua in deserto aqua profluebat, fuisse d Christum.

XIX.

Neque aliter vel sensit vel locutus est Augustinus: ne quis hoc aspernetur tanquam novum commentum. a Si
a Epist.23.ad Bonifac. sacramenta (inquit) *quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent: utique sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentū corporis*

poris Christi, corpus Christi est: sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramentum fidei fides est.

XX.

Quòd objiciunt, non esse verisimile quum Christus Apostolis singulare paræret in rebus adversis solatium, ænigmaticè ac prorsùs obscurè locutum esse: res ipsa ostendit, metonymicum hunc sermonem discipulis nequaquam obscurum visum fuisse. Nisi enim eis veniisset in mentem, panem vocari à Domino corpus ipsius, quia ejus esset symbolum: turbati haud dubiè fuissent in re tam prodigiosa, quæ ex proprio verborum sensu nascitur. Idque eò magis quòd eodem ferè tempore longè[a] faciliora non potuerunt assequi. Quum ergo istis verbis non sint turbati: planum est, intellexisse ea metonymicè ex more Scripturæ: præsertim quum paulò antè comedissent agnum, qui eodem sensu pascha, id est transitus, appellabatur: quòd scilicet esset symbolum transitus illius, quo[b] angelus percutiens primogenita Ægyptiorum, transiit domos Israelitarum, qua occasione illi ex Ægypto educti & è servitute liberati sunt.

[a] *Ioh.14.5.8. & c.16.v.17*

[b] *Exod.12.27*

XXI.

Frustrà autem hic prætendunt omnipotentiam Dei, ut ostendant, corpus Christi simul in cælo & in pane cenæ esse. Neq; enim hic quæstio est, quid Deus possit, sed quid velit. Vult autem Christum fratribus per[a] omnia esse similem, excepto[b] peccato: Ergo vult eum corpore verò, id est finito & circumscripto esse præditum. Deinde etsi Deus omnipotens est, tamen non potest efficere contradicentia, nempe ut aliquid simul sit & non sit: quia non potest[c] mentiri nec seipsum[d] negare: quum hoc pugnet cum ipsius natura. Contradicentia autem sunt, Christi corpus esse verum corpus, & non esse verũ corpus, sed infinitum.

[a] *Heb.2.17.*

[b] *Heb.4.15.*

[c] *Tit.1.2. Heb 6.18.*

[d] *2.Tim.2.13.*

XXII.

Neque etiam adversarios juvat, quòd dicunt, nisi corpus Christi ubiq; esse statuatur, per hoc à natura divina, quæ ubique est & cum ipsum personaliter unitum est, separari ac divelli. Nam etsi corpus Christi non sit ubique, sed uno aliquo loco contentum: nihilominus deitati ϖλήρει personaliter unitum manet, quia unio personalis non est

naturæ humanæ cum divina exæquatio, aut proprietatum naturæ divinæ in humanam transfusio: ut humana natura habeat easdem proprietates quas habet divina; sed est talis unio, quâ natura humana subsistit in persona λόγου, ita ut ipsius quasi pars sit, nec per se sive extra τὸν λόγον subsistat. Itaque recte dixerunt veteres in synodo Chalcedonensi, *differentiam naturarum in Christo non esse sublatam propter unionem: sed potius utriusque naturæ in unam personam seu unam hypostasin concurrentis proprietatem servari.*

XXIII.

Quum ergo corpus Christi finitum sit: & ex hoc mundo in cælum [a] sublatum, illic [b] usque ad judicii diem contineatur: sequitur, ipsum non esse ubique, nec in pane Cænæ contineri.

a Act. 1. 9. 10. 11.
b Act. 3. 21. 1. Cor. 11. 26.

XXIV.

Etsi autem corpus Christi in cælo & nusquam alibi esse dicimus, pro veri corporis modo: non tamen ipsum certo cæli loco affigimus: sed existimamus ibi esse liberè, prout gloriæ cælesti convenit. quod quidem investigare curiosum esset.

XXV.

Unde liquet, eos calumniari; qui dicunt, nos corpus Christi certo cæli loco affigere.

XXVI.

Quòd autem dicunt, etsi corpus Christi in cælo sit visibiliter, id tamen non obstare quo minus in pane Cænæ sit invisibiliter: primùm hoc non possunt probare è Scripturis, deinde sibi ipsis contradicunt, quatenus simul affirmant, corpus Christi in pane esse realiter, substantialiter, deniq; corporaliter. quod si ita est, necesse est ut ibidé sit visibiliter. Nam quodcunq, corpus humanum alicubi est substantialiter, id ibidé est visibiliter: quum visibilitas à substantia corporis humani separari non possit. Hinc CHRISTUS post resurrectionem suam discipulis [a] apparens; quum probare vellet, suum ipsius corpus adesse substantialiter; ab adjuncta ejus visibilitate & palpabilitate argumentatur, & ad sensum discipulorum provocat.

a Luc. 24. 36. 37. 38 39.

XXVII.

XXVII.

Præterea quòd excipiunt, iniquum esse, naturam glorioſi corporis ſubjicere communis naturæ legibus, id ad ſtabiliendum corporis Chriſti in pane præſentiam invisibilem nihil facit. Primùm enim gloria veritatem corporis [a] non abolevit, qua comprehenditur etiam visibilitas. Deinde & hoc conſiderandum, quòd in prima illa Cæna, quâ Chriſtus unâ cum diſcipulis celebravit, corpus ipſius glorificatum nondum fuit; hodie autem non eſt alia ſacræ Cænæ ratio quàm tunc erat.

[a] Luc. 23. 36. & deinceps. Act. 7. 55. 56 & 1. 9. 10. 11

XXVIII.

Nec verò ſi corpus Chriſti in pane Cænæ eſſe negatur, propterea Chriſtus ipſe à ſua Cæna prorſus abeſſe dicendus eſt: aut dicendum, panem & vinum ſacræ Cænæ nuda & inania ſigna eſſe. Verè enim adeſt Chriſtus ſpiritus ſui gratiâ, ubi [a] duo vel tres in ipſius nomine congregati fuerint; & corda fidelium per promiſſionem Evangelii ad ſe in cælum uſque exhibit: ut illic conte mplentur, nempe in [b] ſanctuario cæleſti, victimam in cruce oblatam, atque ita per fidem eâ paſcantur ad vitam æternam.

[a] Mat. 18. 20.

[b] Heb. 9. 12. 24.

XXIX.

Porrò quum Chriſtus ſuo corpore non ſit in pane Cænæ; ſequitur, nec ibi adorandum eſſe: ſed adorandus eſt in cælo, [a] ubi eſt, ad dextram Dei ſedens: quò etiam olim in Cænæ adminiſtratione populus invitabatur, dum admonebatur habere SURSUM CORDA.

[a] Col. 3. 1.

XXX.

Nec ſacra Cæna, muta actio eſſe debet; quæ à ſolo eccleſiæ miniſtro peragatur: ſed myſterium illius populo Chriſtiano à paſtore eccleſiæ clara voce explicandum eſt.

XXXI.

Similiter rejicienda eſt Cæna privata, quæ ſingulis morituris privatim adminiſtratur extra fidelium cõgregationem & comparticipationem: quum Apoſtolus de Cænæ celebratione loquens, dicat, [a] *Convenientibus vobis.* Item, quum ſacra cæna ſit ſymbolum communionis ſanctorum; quod ſignificat Apoſtolus, inquiens: [b] *Unus panis, unum corpus nos multi ſumus: quia omnes de uno pane participamus.*

[a] 1. Cor. 11. 20

[b] 1. Cor. 10. 17

XXXII.

Dignitas manducantium in eo consistit, ut indignitatem suam [a] agnoscant ac deplorent, & Deum ex fide invocent, ut suâ misericordiâ se dignos faciat.

a 1. Cor. 11. 28

XXXIII.

Ritus administrandi sacram Cænam optimus is est, qui ad simplicitatem primæ institutionis quàm proximè accedit, & à superstitione quàm longissimè abest: ubi etsi quædam ἀδιάφορα sunt, tamen fractio panis propter causas [a] suprà commemoratas ἀδιάφορον censeri non debet.

a Aphoris. 6.

XXXIV.

Etsi autem certa tempora, quibus hæc sacra Cæna celebretur, à Domino præscripta non sunt: tamen ipsa ratio postulat, ut Christianis omnibus frequenti in usu sit: ut nimirum frequenti memoria passionem Christi repetant, eáq; recordatione & fidem suam roborent, & sese ad confessionem laudis Deo canendam, bonitatemq; ejus prædicandam hortentur, & denique mutuam charitatem alant, & sibi etiam inter se testificentur: cujus copulam in unitate corporis Christi vident.

Locus XXVII.

De Missa Papali.

Aphorismus I.

Missam Papistæ fingunt esse opus, quo sacerdos per demurmurationem quinque verborum (Hoc est enim corpus meum) ex pane creet Christum, illúq; Patri ut victimam offerat, eaque oblatione expiet peccata omnium eorum (tum vivorum tum mortuorum) pro quibus Missa celebratur.

II.

Hoc Papistarum dogma impium ac blasphemum est. Primùm enim per illud irrogatur Christo hæc contumelia, quasi ipse non sit [a] unicus novi Testamenti sacerdos.

a Heb. 5. 6. & 7. 24.

III.

Deinde, eadem hæc doctrina meritum mortis Christi

opprim

opprimit ac obruit, quasi credentium peccata non sint expiata [a] unico sacrificio mortis Christi. [a] Heb.9.12. & 10.12.14

IV.

Tertiò, per hoc dogma Papistæ Christum quantum in ipsis est, rursus occidunt: quatenus per Missam peccatorum remissionem promittunt, atque ita novum testamentum erigunt: & quatenus se Christum ut hostiam offerre dicunt. Etenim ubi testamentum est, [a] mortem testatoris intercedere necesse est: & ubi hostia offertur, occidi eam oportet. [a] Heb.9.16.

V.

Quartò, dogma istud adimit nobis fructū mortis Christi, nempe remissionem peccatorum. Nam si peccata nobis remittuntur per meritum Missæ, non igitur per meritum [a] mortis Christi. [a] Matt.26.28.

VI.

Quintò, per Missam Cœna Domini è medio sublata est: quippe quæ cum illa consistere nequit. Nam in Cœna propositum est Deo, [a] donare nobis: at in Missa propositum est hominibus, numerare Deo pretium, quo ei satisfiat. Deinde, in Cœna testatur nobis Deus, nos unico Christi sacrificio assiduè [b] vivificari: at in Missa fingunt, Christi sacrificium nobis non prodesse, nisi quotidiè iteretur. Tertiò, Cœna celebratur à toto ecclesiæ [c] cœtu: at Missa celebratur à solo sacerdote. [a] Ioh.6.32. [b] Ioh.6.57. [c] 1.Cor.11.17 & 10.17. Mat.26.27.

VII.

Porrò quæ pro defensione Missæ à Pontificiis afferuntur, nihil momenti habent: cujusmodi sunt ista, Christus in institutione sacræ Cœnæ dixit, *Hoc facite*. Ergo præcepit Apostolis, eorumq; successoribus, ut corpus ipsius Deo offerrent seu sacrificarent. Sic enim accipitur *faciendi* verbum passim [a] in sacris literis, atque etiam in ea significatione reperitur apud authores [b] profanos. At, inquam, nō est consequens, ut si *faciendi* verbum alibi ita accipiatur, similiter accipiendum sit & hîc. Deinde aliter hîc esse accipiendum, planum est è sententiarum cohærentia & expositione [c] Pauli: videlicet ut nihil aliud significetur quā hoc, Edite hunc panem, & bibite hoc poculum. Adhæc [a] Exod.29. Num.28. [b] Apud Virgil.eclog.3. [c] 1.Cor.11.26

verba illa dicta sunt Apostolis, non tanquam Ecclesiæ ministris (ministri enim partes tum agebat ipse Dominus) sed tanquam fidelibus, sacramentum à ministro verbi percipientibus. quare non minus ad laicos (quos vocant) quã ad sacerdotes seu ministros Ecclesiæ pertinent.

VIII.

Deinde, si oblatio Christi in cruce facta, repræsentanda est per Cænam: oportebat utique Christum in Cæna offerri: quia scilicet repræsentatio oblationis Christi in Cæna fieri aliter non potest, quàm si Christus offeratur sub speciebus panis & vini. At, inquam, falsum est istud cõnexum: & falsa item ejus ratio. Etenim oblatio in cruce facta, potest ac debet repræsentari aliter; videlicet per [a] fractionem panis & fusionem vini.

a 1. Cor. 11. 24.

IX.

Præterea, si agnus paschalis fuit sacrificandus: ergo & Christus in Eucharistia est sacrificandus: quia scilicet agnus paschalis fuit Eucharistiæ typus. At, inquam, hoc quoque connexum falsum est, & falsa item ejus ratio. Etenim ex illo antecedente hoc quidem sequitur, Christum quoque fuisse sacrificandum: idque propterea quòd agnus ille fuit typus [a] Christi: at non in Eucharistia, verùm in cruce: ubi etiam teste Johanne [b] impletum fuit, quod per agnum fuerat præfiguratum.

a 1. Cor. 5. 7.
b Ioh. 19. 36.

X.

Adhæc afferunt locum Malach. 1. v. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* At, inquam, dum hinc inferunt, in Cæna offerri corpus Christi, quod nimirum est oblatio munda: vitiosè argumentantur à genere ad speciem affirmando. Et intelligentibus planũ est, Malachiam hic pro [a] more Prophetarum de cultu spirituali Ecclesiæ novi testamenti loqui sub involucris cultus ceremonialis in veteri testamento usitati.

a Vide Ioel 2. 28 & Act. 2. 17.

XI.

Sed mirum est quòd pro stabiliendo sacrificio Missæ argumenta afferre audent ex Epistola ad Hebræos: quippe quum doctrina illius epistolæ principalis commentum istud

istud Pontificium planè evertat. E quinto igitur capite afferunt hoc, [a] *Omnis sacerdos constituitur* (καθίσταται) *ut offerat sacrificia pro peccatis.* Ergo etiam in novo Testamento sunt sacerdotes propriè dicti, qui offerant pro peccatis: quia nimirum Apostolus utitur verbo temporis præsentis. At, inquam, planum est, ex tota illa Apostoli narratione, Apostolum loqui de sacerdotibus testamenti veteris: item de sacrificiis quæ erant typi sacrificii Christi, quo solo peccata vere expiata sunt. Atq; sic in eâdem epistola passim utitur verbis temporis præsentis, de sacerdotibus Leviticis loquens: ut cap 7. 9 11. Ratio autem locutionis est, ut res ipsa velut ante oculos ponatur. [a] Heb. 5. 1.

XII.

E septimo capite accersunt typum Melchisedeki: unde sic colligunt: Nisi se Christus sacrificavit in Cœna incruentè sub speciebus panis & vini: nusquam factus est sacerdos secundùm ordinem Melchisedek. At factus est; teste Apostolo in isto capite. Ratio connexi: quia Melchisedek obtulit Deo panem & vinum. Respondeo: Falsum est connexum. nam sacerdos secundùm ordinem Melchisedek nominatur Christus hanc præcipuè ob causam, teste Apostolo, quia est sacerdos [a] æternus, sicut Melchisedek introducitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος &c. Deinde & ratio connexi falsa est: quia Melchisedek panem & vinum non obtulit Deo: sed [b] protulit ad alimoniam Abrahæ & servorum illius. Id enim & significatur verbo Hebræo יצא hotzí & ex ipsa rei gestæ circumstantia facilè intelligitur. [a] Heb. 7. 3. [b] Gen. 14. 18.

XIII.

Denique ex nono capite afferunt istam sententiam: [a] *Necesse est exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia melioribus hostiis* (θυσίαις) *quàm istis.* Ergo oblationibus Missarũ: quia dicit numeri plurali, *Hostiis.* Nõ igitur loquitur de sacrificio Christi cruento: quod fuit unicũ. At, inquam, pluralem numerum retinuit Apostolus per enallagen, quia in comparatione Legalium victimarum versabatur. Cujusmodi enallages exempla etiam alibi occurrunt: ut Ruth. 1. v. 10. & cap. 2. v. 20. Loqui autem [a] Heb. 9. 23.

Apostolorum de unico illo sacrificio Christi, ex totius illius capitis scopo patet: quippe in quo nihil aliud agit, quàm ut sacerdotium Christi cum Levitico comparet, & illius præstantiam pro isto ostendat.

XIV.

Etsi autem constanter negamus, sacram Domini Cœnam (quam Pontificii in Missam transformarunt) esse sacrificium expiatorium: tamen libenter fatemur, atque adeò profitemur, eam esse sacrificium eucharisticum novi Testamenti: quippe quæ ad hoc ipsum à Domino instituta sit, ut hoc solenni ritu mortem ipsius [a] annuntiemus, ipsumque ut unicum nostrum redemptorem lætis animis celebremus, ad gloriam nominis ipsius.

[a] 1. Cor. 11. 26

Locus XXVIII.

De politico Magistratu.

Aphorismus I.

Quoniam nonnulli politicum magistratum ex Ecclesia exterminandum censent; alii verò nimiam ei potestatem concedunt: operæpretium est ex verbo Dei cognoscere, an hic ordo Deo probetur, & quàm latè ejus potestas pateat.

II.

Quod utrumque ut planiùs cognoscatur, de tribus rebus ordine dicendum est: primùm de magistratu, deinde de legibus, postremò de populo.

III.

De magistratu tria consideranda sunt: nempe an functio ejus Deo probetur, quodnam ejus sit officium, & quônam gaudeat jure.

IV.

Functionem magistratuum Deo probari, ex testimoniis Scripturæ abundè liquet. ut Psal. 82. v. 1. *Deus stat in cœtu Dei, in medio deorum judicat.* Et v. 6. *Dixi, vos dii estis, & filii Excelsi omnes.* Deut. 1. v. 17. ait Moses, *Judicium Dei est.* Sic

2. Paral.

2.Paral.19.v.6. ait Josaphat judicibus, *Non hominis judicium exercetis, sed Jehovæ.* Prover.8.v.15. Sapientia, id est Filius Dei, pronuntiat, *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Dan.2.v.21. *Deus transfert regna, atque constituit.* Rom.13.v.1. ait Paulus, *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit.* Et v. 3. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

V.

Officium magistratus est, ut sit [a] custos utriusque tabulæ: ac proinde ut inprimis instituat ac tueatur [b] purum Dei cultum: deinde ut faciat [c] judicium & justitiam; hoc est ut malos puniat, bonos tueatur & præmiis ornet.

a Deut.17.18 19.
b Deut.12.3. 2.Reg.23. 2.Chron.29.
c Ier.22.3. Psal.82.3.4. Rom.13.3.4. Gen.9.6. a Deut.20. Luc.3.14. Mat.8.10. Act.10.4.

VI.

Quin etiam, si necessitas postulet, armis tueri subditos & ditiones fidei suæ commissas [a] bello defendere magistratus debet.

VII.

Veruntamen quum pœnas sive de subditis sive de hostibus sumunt magistratus: summopere cavere debent, ne suis cupiditatibus obsequantur; sed tantùm studio officii ducantur.

VIII.

Jus habet magistratus exigendi à subditis [a] tributa & vectigalia: iisque non solùm ad publica muneris sui onera sustinenda uti debet, verùm etiam uti eis licet ad [d] splendorem domesticum & dignitatem suam tuendum.

a Rom.13.6.7 b 1.Sam.8.11 &c. Gen.44.22. 23. Dan.2.41.

IX.

Atque hæc de magistratu: jam ad leges quod attinet, primò observandum: tria esse legum divinarum genera: videlicet legem moralem, ceremonialem, & judicialem.

X.

Moralis legis summa [a] decalogo comprehenditur, quæ in dilectione Dei & proximi consistit: cumque sit æterna justitiæ regula, perpetuò vigere debet.

a Exod.20. Deut.5.

XI.

Ceremonialis lex, Judæorum [a] pædagogia fuit, usque dum Christus exhiberetur: quare Christo exhibito [b] abrogata est.

a Gal.3.24. b Col.2.16. Eph.2.15.

XII.

Judicialis lex, quatenus populo Judaico propriè accommodata fuit, magistratum populi Christiani non obligat: Veruntamen quatenus sceleribus [a] pœnas decernit, magistratum Christianum non minùs hodie obligat quàm Judaicum olim obligabat.

[a] Lev.24.16. Deut.13.5.

XIII.

Sed hæc hactenus de legibus: sequitur pars tertia, de subditis. Subditorum erga suos magistratus officium primum est, eos [a] suspicere ac revereri, ut Dei [b] ministros ac legatos: alterum, ut propensis in eorum observantiam animis, suam illis [c] obedientiâ approbent. Præterea, ne se publicis negotiis ultrò [d] admisceant: ne quid injussi audeãt.

[a] Rom.13.7. [b] Rom.13.4. [c] Ibid.v.1.& 5. [d] 1.Pet.2.13.14 & 1.Pet.4.15

XIV.

Quinetiam [a] injustè & impotenter dominantibus obedire debent: dummodò nihil mandent quod Deus vetuit, nihilve vetent quod Deus mandavit. In hoc enim casu tenenda est regula illa Petri, [b] *Obedire oportet Deo plus quam hominibus.* Item illa regula Christi: [c] *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

[a] 1.Pet.2.18 Ier.27.12. [b] Act.4.19. & 5.29. [c] Mat.22.21.

APPENDIX TRACTATIVNCULA, *de manducatione corporis Christi: quæ facit ad illustrandum doctrinam de Cœna Domini.*

Quum Dominus noster Jesus Christus Johannis sexto expressis verbis doceat, [a] *Carnem suam verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum*: Iteni, [b] *Nisi ederimus carnem filii hominis, & biberimus ejus sanguinem, non habituros vitam in nobis*: ut hæc doctrina (quæ primâ fronte videtur absurda: atque etiam Capernaitis, quibus à Domino proposita fuit, perquam absurda est visa) rectè intelligatur; ac proindè veram consolationem (qui doctrinæ cæ[illegible]estis præcipuus usus est) nobis possit afferre: duæ potissimùm quæstiones explicandæ veniunt: una, *Qualisnam cibus caro Christi sit?* altera, *Qualiter seu quomodo hic cibus à nobis comedatur?* Quæ ipsa de sanguine quoque CHRISTI tanquam potu

[a] Ioh.6.55. [b] Ibid.v.53.

potu quæruntur: nempe, Qualis sit potus sanguis Christi: & qualiter seu quomodo hic potus à nobis bibatur?

Ad priorem igitur quæstionem quod attinet; quum caro Christi sit cibus, ut modò ex verbis Domini est ostensum; necesse est, ut sit aut cibus corporalis, aut spiritualis. Corporalis cibus dicitur, quo alitur corpus ejus qui ederit: & his nominatur cibus usitate & propriè loquendo. Spiritualis cibus vocatur, quo alitur spiritus seu animus ejus qui ederit: & hic nominatur cibus impropriè seu tropicè loquendo, nempè per metaphoram, quia habet similitudinem cibi proprie dicti. Nam quemadmodum cibo proprie dicto alitur ac sustentatur corpus: ita cibo illo spirituali sustentatur & quasi alitur spiritus seu animus. Eadé est ratio ac definitio potus corporalis, itemq; spiritualis. Jam certum est, carné Christi non esse cibum corporalem; itemq; sanguinem Christi non esse potum corporalem, quippe quum nec carne nec sanguine Christi corpus cujusquam alatur. nam ad hunc effectum producendum oporteret carnem Christi ore comedi, dentibus comminui, gulâ deglutiri, in ventriculo concoqui, & in chilum redactam singulis corporis membris distribui & agglutinari atque coalescere, denique in eorum substantiam converti. Similiter & sanguinem Christi, si corpus eo alendum esset, oporteret ore hauriri, deglutiri, &c. Quæ dictu absurda atq; horrenda sunt. Atque hæc ipsa causa fuit, cur Capernaitæ ad sermonem Domini de carne sua edenda, exhorrescerét & cum iniquè ferrent, dicentes, [c] *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad edendum?* item, [d] *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Nempe intelligebant isti verba illa Christi de cibo corpo ali, qui ore corporis esset deglutiendus, quóve corpus esset alendú. Quum igitur ex absurdis istis consequentibus liqueat, carnem Christi non esse cibum corporalem: sequitur ut sit cibus spiritualis: itemque sanguis ejus, potus spiritualis: quo scilicet spiritus seu animus hominis alitur ac sustentatur ad vitam æternam sicut corpus hominis cibo & potu corporali alitur ac sustentatur ad vitam hanc temporalem & caducam.

[c] Ioh. 6. 52.
[d] Ibid. v. 60.

Et hoc ipsum videtur Christus significasse his verbis,

e Ibid. v. 63. e *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt.* Quæ verba etsi hodie à plerisq; Orthodoxis exponuntur de Christi deitate, quasi vocabulo *Spiritus* hîc illa intelligenda sit: ut nimirũ significetur, vim vivificandi manare à Christi deitate, ut caro ejus vivifica sit, quatenus est caro Dei pro nobis crucifixa: (quæ quidem expositio, orthodoxa est) tamen videtur mihi quidem simplicior, atque adeò genuina expositio, si vocabulo *Spiritus* intelligamus Spiritum sanctum: ut hæc sit sententia: Caro mea, quam dixi esse comedendam ad consequendum vitam æternam, non prodest quicquam ad hunc effectum producendum, si scilicet edatur corporaliter, ut vos Capernaitæ verba mea accipitis: sed Spiritus est qui vivificat, hoc est Spiritus sanctus vivificat corda credentium, & sustentat ea ad vitam æternam: quatenus nimirum efficaciter ea movet ad credẽdum in me, atque ita ad edendum carnem meam, & bibendum sanguinem meum spiritualiter, hoc est, per fidem qua certò statuunt, carnem meam pro ipsis esse crucifixam, & sanguinem meum pro ipsis esse effusum in remissionem peccatorum. *Verba* igitur (inquit) *quæ ego loquor vobis*, nempe de necessitate edendi meam carnem ad consequẽdum vitam æternam: hæc, inquam, verba *sunt Spiritus & vita*: hoc est, intelligenda sunt de Spiritus sancti efficacia in cordibus electorum, ad vitam æternam in illis efficiendam, nempe per fidem.

Porrò ut plenius intelligatur, quo sensu caro Christi sit & dicatur cibus spiritualis: explicandum quoque est, quomodo nobis cibus sit effecta. Istud autem expressis verbis nos docuit Christus in illo ipso sermone, quem dixit: f *Ego sum panis ille vivus* (id est, vivificus) *qui de cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.* His postremis verbis, *Quam ego dabo pro mundi vita*, delarat Christus, quomodo seu qua ratione caro sua nobis futura esset cibus, nempe quatenus pro vita nostra (hoc est, ad vitam æternam nobis promerendam) sit danda ab ipso, videlicet in mortem: hoc est, ab ipso ut sacerdote tanquam sancta victima Deo

f v. 51.

patri

patri offerenda. Hanc esse genuinam vocabuli Quatenus, in istis verbis expositionem; quasi nimirum dixisset Dominus, Quatenus eam dabo: ex ipsa manifestum est. Nisi enim hoc sensu accipiamus, ut istis verbis declaretur quidam modus ejus rei de qua dictum est: tunc vocabulum illud notabit divisionem generis in species; quasi Christus habuerit carnem duplicem, quarum unam dederit pro mundi vita, alteram verò non item. Quę expositio manifestò falsa est, & articulis fidei quibus asseritur veritas carnis Christi, adversatur. Manet igitur, expositionem illam vocabuli *Quam* per *Quatenus*, veram ac genuinam esse, & ad modum rei propositæ declarandum adhibitam. Quæ eadem expositio adhibenda quoque est in illis Domini verbis, quibus sacram Cœnam instituit, de pane illo fracto sic pronuntians, *Hoc est corpus meum: quod pro vobis datur seu frangitur*, id est, quatenus pro vobis datur seu frangitur.

Etenim sat erit ille panis, seu (ut Paulus nominat) panis ille Domini, non simpliciter est sacramentum corporis Domini: hoc est, non simpliciter significat, Dominū præditum esse vero corpore: sed significat & testificatur, corpus Domini pro nobis esse datum seu fractum, hoc est, in cruce cum sensu iræ Dei oblatum ad expiandum nostra peccata. Idem sentiendum ac dicendum de alteris verbis, quæ pronuntiavit Dominus de sacro illo poculo seu vino. *Hoc*, inquit, *est sanguis ille meus novi testamenti seu fœderis: qui effunditur pro vobis ac pro multis in remissionem peccatorum*, id est, quatenus effunditur. nam hac ratione novum istud fœdus atq; testamentum sancitum fuit, & remissio peccatorum nobis impetrata: quippe quum absque effusione sanguinis nulla fiat remissio: sicut Apostolus ad Hebræos testatur. Ex his jam planum est, carnem seu corpus Christi habere rationem cibi non simpliciter, sed secundùm quid: nempe quatenus pro nobis crucifixum est. Sicut corpus est visibile, quatenus coloratum est.

Nunc ad alteram quæstionem quod attinet, qualiter seu quomodo caro Christi à nobis edatur, itemq; sanguis ejus bibatur: Respondeo: Qualis est ipse cibus ac potus, talis etiam est edendi ac bibendi modus. Atqui caro Chri-

e Ibid. v. 63. e *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt.* Quæ verba etsi hodie à plerisq; Orthodoxis exponuntur de Christi deitate, quasi vocabulo *Spiritus* hîc illa intelligenda sit: ut nimirũ significetur, vim vivificandi manare à Christi deitate, ut caro ejus vivifica sit, quatenus est caro Dei pro nobis crucifixa: (quæ quidem expositio, orthodoxa est) tamen videtur mihi quidem simplicior, atque adeò genuina expositio, si vocabulo *Spiritus* intelligamus Spiritum sanctum: ut hæc sit sententia: Caro mea, quam dixi esse comedendam ad consequendum vitam æternam, non prodest quicquam ad hunc effectum producendum, si scilicet edatur corporaliter, ut vos Capernaitæ verba mea accipitis: sed Spiritus est qui vivificat, hoc est Spiritus sanctus vivificat corda credentium, & sustentat ea ad vitam æternam: quatenus nimirum efficaciter ea movet ad credẽdum in me, atque ita ad edendum carnem meam, & bibendum sanguinem meum spiritualiter, hoc est, per fidem qua certò statuunt, carnem meam pro ipsis esse crucifixam, & sanguinem meum pro ipsis esse effusum in remissionem peccatorum. *Verba* igitur (inquit) *quæ ego loquor vobis*, nempe de necessitate edendi meam carnem ad consequendum vitam æternam: hæc, inquam, verba *sunt Spiritus & vitæ*: hoc est, intelligenda sunt de Spiritus sancti efficacia in cordibus electorum, ad vitam æternam in illis efficiendam, nempe per fidem.

Porrò ut plenius intelligatur, quo sensu caro Christi sit & dicatur cibus spiritualis: explicandum quoque est, quomodo nobis cibus sit effecta. Istud autem expressis verbis nos docuit Christus in illo ipso sermone, quem dixit: f *Ego sum panis ille vivus* (id est, vivificus) *qui de cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.* His postremis verbis, *Quam ego dabo pro mundi vita*, delarat Christus, quomodo seu qua ratione caro sua nobis futura esset cibus, nempe quatenus pro vita nostra (hoc est, ad vitam æternam nobis promerendam) sit danda ab ipso, videlicet in mortem: hoc est, ab ipso ut sacerdote tanquam sancta victima Deo

f v. 51.

patri

patri offerenda. Hanc esse genuinam vocabuli Quatenus, in istis verbis expositionem; quasi nimirum dixisset Dominus, QUATENUS eam dabo: ex re ipsa manifestum est. Nisi enim hoc sensu accipiamus, ut istis verbis declaretur quidam modus ejus rei de qua dictum est: tunc vocabulū illud notabit divisionem generis in species: quasi Christus habuerit carnem duplicē, quarum unam dederit pro mundi vita, alteram verō non item. Quę expositio manifestō falsa est, & articulis fidei quibus asseritur veritas carnis Christi, adversatur. Manet igitur, expositionem illam vocabuli *Quam* per *Quatenus*, veram ac genuinam esse, & ad modum rei propositæ declarandum adhibitam. Quæ eadem expositio adhibenda quoque est in illis Domini verbis, quibus sacram Cœnam instituit, de pane illo fracto sic pronuntians, *Hoc est corpus meum: quod pro vobis datur seu frangitur*, id est, quatenus pro vobis datur seu frangitur.

Etenim sacer ille panis, seu (ut Paulus nominat) panis ille Domini; non simpliciter est sacramentum corporis Domini: hoc est, non simpliciter significat, Dominū præditum esse vero corpore: sed significat & testificatur, corpus Domini pro nobis esse datum seu fractum, hoc est, in cruce cum sensu iræ Dei oblatum ad expiandum nostra peccata. Idem sentiendum ac dicendum de alteris verbis, quæ pronuntiavit Dominus de sacro illo poculo seu vino. *Hoc*, inquit, *est sanguis ille meus novi testamenti seu fœderis: qui effunditur pro vobis ac pro multis in remissionem peccatorum* id est, quatenus effunditur. nam hac ratione novum istud fœdus atq; testamentum sancitum fuit, & remissio peccatorum nobis impetrata: quippe quum absque effusione sanguinis nulla fiat remissio: sicut Apostolus ad Hebræos testatur. Ex his jam planum est, carnem seu corpus Christi habere rationem cibi non simpliciter, sed secundùm quid: nempe quatenus pro nobis crucifixum est. Sicut corpus est visibile, quatenus coloratum est.

Nunc ad alteram quæstionem quod attinet, qualiter seu quomodo caro Christi à nobis edatur, itemq; sanguis ejus bibatur: Respondeo: Qualis est ipse cibus ac potus, talis etiam est edendi ac bibendi modus. Atqui caro Chri-

ſti, eſt cibus ſpiritualis; itemq; ſanguis Chriſti, eſt potus ſpiritualis: ut ſuprà eſt demonſtratum. Ergo etiam ſpiritualiter caro Chriſti editur, itemque ſpiritualiter ſanguis ejus bibitur. Spiritualiter autem carnem edere, & ſanguinem ejus bibere, eſt edere & bibere ore ſpiritus, hoc eſt, animi: nempe fide. Cæterùm fide edere carnem Chriſti, & bibere ſanguinem ejus, nihil aliud eſt quàm in Chriſtũ credere: ſeu, credere, carnem Chriſti pro te eſſe crucifixam, ſanguinemque ejus pro te eſſe effuſum in remiſſionem peccatorum tuorum. Sic Chriſtus ipſe in eodem ſermone declarat: ubi duo hæc enuntiata, tanquam æquipollentia ſeu idem ſignificantia proponit; nempe [a] *Qui credit in me, habet vitam æternam*; & [b] *Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et hunc verborum Domini ſenſum res ipſa poſtulat. Sic enim enuntiato iſto de eſu carnis ſuæ aliud ſignificaret, quàm enuntiato illo de fide: ſequeretur, viam vitæ æternæ non eſſe unicam, ſed duplicem: nempe unam per eſum carnis Chriſti, alteram per fidem. At via vitæ æternæ unica eſt: quæ eſt ipſe Chriſtus fide apprehenſus, ſeu (quod eòdem redit) fides in Chriſtum tanquam ſervatorem. Quod ut pleniùs intelligatur, conſideranda eſt fidei natura. Hæc autem intelligitur ex proximo & genuino ipſius objecto: quod eſt Evãgelium ſeu teſtimoninm Dei de ſua gratia propter Chriſtum. Fides enim aſſentitur Evangelio, tanquam teſtimonio divino atque infallibili. Evangelium autem teſtatur de Chriſto, nempe de illius perſona & officio atque adeò beneficiis erga nos: videlicet Chriſtum eſſe filium Dei unigenitum, qui propter nos & noſtram ſalutem de cælo deſcenderit & homo factus ſit ex Maria virgine: qui ſanctè vixerit ſecundùm legem Dei: qui conſilium Dei de noſtra ſalute è ſinu Patris protulerit: qui juſtos pro nobis injuſtis paſſus ſit ſub judice Pilato, crucifixus ac mortuus &c. Et quemadmodum Evangelium de hiſce rebus teſtatur, ita de iiſdem teſtantur & ſacramenta: quæ ſunt Evangelii appendices & ſigilla, & quaſi viſibile ac palpabile Evangelium. Qui ergo divinis hiſce teſtimoniis credit, is hoc ipſo ſpiritualiter veſcitur corpore Chriſti, itemque ſpiritualiter

[a] v. 47.
[b] v. 54.

ter ſanguinem ipſius bibit.

Et ſic Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 16. iſtam Domini phraſin declarat. *Niſi manducaueritis, inquit, carnem filii hominis & ſanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.* Hactenus Auguſtinus. Ad eundem modum verba illa Chriſti declarat magnus ille noſtræ ætatis Theologus, Johannes Calvinus Inſtitut. lib. 4. cap. 17. ſect. 5.

INDEX LOCORVM communium.

Loc.		Pag.
1	De cognitione Dei.	7
2.	De ſacra ſcriptura.	8
3	De Deo.	13
4	De Angelis.	14
5	De prima Natura noſtra integritate; ubi de imagine Dei & libero arbitrio.	17
6	De Providentia Dei.	18
7	De peccato.	19
8	De Lege Dei.	23
9	De ſimilitudine & diſcrimine Veteris & Novi Teſtamẽti.	27
10	De Perſona & officio Chriſti.	32
11	De Fide.	35
12	De Pœnitentia: ubi etiam de vita Chriſtiana & tolerantia crucis.	36
13	De Juſtificatione.	40
14	De libertate Chriſtiana.	48
15	De ſcandalo.	52
16	De Precatione.	53
17	De Prædeſtinatione.	58
18	De reſurrectione carnis, & vita æterna.	60
19	De Eccleſia.	62
20	De Miniſtris Eccleſiæ.	64
21	De Eccleſiæ diſciplina.	67
22	De Votis.	69
23	De Sacramentis.	70
24	De Baptiſmo.	74
25	De Pædobaptiſmo.	78
26	De Cœna Domini.	81
27	De Miſſa Papali.	88
28	De politico magiſtratu.	92

FINIS.